

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Medicorum Silesiacorum Satyrae, Quae Varias Observationes, Casus, Experimenta, Tentamina Ex Omni Medicinae Ambitu Petita Exhibit ...

Specimen III


Wratislaviae: Lipsiae: Korn, 1737

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn82193564X>

Band (Druck)

Freier  Zugang





Zinnin dreizehn Leptus.

Ma - 3605.

MEDICORVM
SILESIACORVM
SATYRAE,
QVAE
VARIAS
OBSERVATIONES,
CASVS, EXPERIMENTA,
TENTAMINA,
EX
OMNI MEDICINAE AMBITV
PETITA,
EXHIBENT.
SPECIMEN III.
CVM FIGVRIS.

WRATISLAVIÆ ET LIPSIÆ,
IMPENSIS JOH. JACOBI KORNII.

1737.

MEDICORVM
SILESIACORVM
STATYRAE

BACO
NON FINGENDVM, AVT EXCOGITANDVM,
SED INVENIENDVM
QVID NATVRA FACIAT, AVT FERAT.

OMNI MEDICINAE TAMELA

SPECIMEN III

WARTA ET FLIESSE
IMPENSIS Ioh. JACOBI KORNII
1624



OBSERVATIO I.

Anno 1736. Wratislaviae demortuorum
Index.

Anus 1736. Silesiæ nostræ multis modis, quamvis satis nunquam deplorandis, admodum notabilis, quum bono cum Deo præterlapsus sit, more nostro intra eius terminos vita functorum catalogum inserimus. Notandum tamen, quod semel iam monuimus, præsentem indicem saltem exhibere eos, qui in Ecclesiis, earumque cæmiteriis August. Confess. intra & extra urbis muros addictarum, scilicet S. Elisabethæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Bernardini, Omnium Sanctorum, XIM. Virginum, & harum filiabus S. Barbaræ, S. Christophori, S. Salvatoris, terræ mandati sunt. Moriebantur autem

a die 25. Decembr. 1735.

ad 1. Mensis Ianuarii 1736.

Mense Ianuario

28

171

Februario

118

Martio

120

A 2

April

OBSERVATIO I.

Aprilis	124
Maio	130
Iunio	89
Iulio	116
Augusto	150
Septembri	174
Octobri	153
Nouembri	117
Decembri	
ad 24. diem eiusdem	117

qui summam conficiunt MDCVII. personarum. In eis vero 320. Viri, 153. Vxores, 227. Viduæ, 68. Iuuenes, 99. Virgines, 351. Pueri intra decimum etatis annum extinti, 312. eius conditionis puellæ, 40. Pueri ante nativitatem mortui, & 37. tales puellæ occurrunt. Nati e contrario sunt 687. pueri, & 686. puellæ, id est M CCCLXXIII. homines. Futuræ vero incolarum multiplicationi 346. nuptiæ hoc anno celebratæ fundamenta iecerunt. Minor igitur est decadentium huius anni numerus, numero anni antecedentis, 58, natorum e contrario maior, 89. capitibus.

SCHOLION.

Mirandum omnino est, annum præterlapsum inconsueto tempore frigidum, pluviostum, tot prouinciam inundationibus vastantem. non maiores effecisse inter mortales strages: Sed quas eo ipso non causauit, præsens 1737, tanquam necessarias sequelas, ægritudines,

OBSERVATIO I.

5

nes, mortesque subitaneas, producit, forte numerosiores adhuc producturus, nisi venti per omnem autumnum flantes, imo furentes, atmospharam, tot peregrinis ex paludibus, stagnis, ob denegatum hactenus motum, putrido & viginoso, fetido humore plenis per crebras autem pluuias, imbres, inundationes, turbatis, motis, in aerem ascendentibus vaporibus grauidam, tot aquosis insuper bullulis repletam, purgassent, liberasent. Quum vero periculosos morbos, nunc (vere scilicet 1737, quo haec scribimus) pro præterlapsi anni tempestatis consecutiis, quibus multum ansæ simul præbuit annonæ raritas & caritas, incolas pauperes ad nutrimenta alias plane inconsueta, fastidita, famis sedandæ causa deuoranda cogens, habeamus, ea, quæ ad haec dici possent, alii seruamus loco.

OBSERVATIO II.

Puer Iudeus, quoad genitalia monstrosus, neque tamen Hermaphroditis adnumerandus. ()*

ANNO 1735. die 23. Decembris, occasio sese obtulit vna cum D. D. EICHHOLTZIO p. t. Med. Pract. Vratislauensi, amico

A 3 meo

(*) Hanc obseruationem FAVTORI cuidam, Medico Vratislauensi exercitato, qui tamen latere voluit, debemus, cui etiam publicas agimus gratias, eumque

meo extumatisimo, Infantem Iudaicum circa genitalia monstrosum visitandi uti praesens Tab. I. denotat atque docet. Circumstantiae autem totius rei ita se habebant.

Mulier Iudaica, hic Vratislauiae in sic dicta palæstra pugilum (Fechtschule) habitans, modo dictum fætum vero ferebat, ultimo autem gestationis tempore reliqui eiusdem liberi sexus sequioris variolis laborabant confluentibus, quibus genitalia variolis vnde obfessa minrum in modum intumuerant, quæ durante variolarum periodo saepius aspergit. Præterlapsis fere tribus septimanis nempe die 14. Decembris 1735. partum reliquo corpore & membris quidem sanum, circa genitalia vero monstrum enixa est. Scrotum quidem ordinarium in loco alios consueto apparebat, at, loco peninis supra scrotum pendentis vel ipsi accumben- tis naturalis, conspiciebatur versus latus dextrum, super scrotum oblique deorsum, ad longitudinem sesquipolllicis, cutis, qua penis inclusus, adeo corrugata, ac si integumenta membra virilis communia ipsi agglutinata es- sent. Quando itaque infansitu erecto pos- tus, considerabatur, nullus in conspectum prodibat penis, reclinato autem & erecto scroto, in septo scroti versus perinæum, glans penis

que precamur, ut alia plura, quibus scrinia sua abun-
de instructa scimus, nobiscum publicæ causa utilita-
tis in posterum benigne communicare velit.

penis vna cum retracto quasi præputio formam trianguli repræsentante apparebat. Glans penis imperforata & tenui quasi membranula obducta erat, quæ in formam tenuis ligamenti, frænuli instar, in septo scroti ad Perinæum usque, arcte se distendebat, vbi rima quadrantis pollicis magnitudine & in eadem foraminulum, cuius orificium vix acum textoram (eine starke Stricknadel) admittebat, obseruabatur. Inquirebatur quidem, an glans penis, sub expensa tenui membranula aper turam quandam ostenderet, ecce vero, nulla inueniebatur, atramen membrum virile, in scroto, sub tunica illa penis corrugata, ad longitudinem sesqui pollicis, cum uno testiculo, tactu facile perscrutando, aderat. Vrethram stylo explorare annitebamur, & inueniebamus illam deorsum, intestinum rectum versus & perinæum reclinatam, ita ut per inuentam in perinæo rimam stylus paulatim protrudi posset, ex qua scilicet & infans sursum versus, quasi ex fonte saliente vrinam reddebat. Natus ille infans non statim octo diebus præterlapsis more solito circumcidetur, sed hic actus post spatium 14. a natuitate die rum, præter nationis huius consuetudinem, demum instituebatur, dubii enim parentes haerebant, cui sexui esset adscribendus, ex peccantes an forsan ex rima illa sub scroto se manifestante, vestigia pudendi muliebris prouenirent. Cum vero nulla alia sexus distin-

A 4 Etio

Etio inueniri poterat, ad masculos referebatur & circumcidebatur. Per totum vitæ tempus valetudinarius erat, donec præterlapsis septem cum dimidio mensibus, e vita discessit. Mortuo illo, genitalia & præsertim sæpius laudata rima, eandem formam & figuram, quam tum temporis cum in lucem edetur, ostendebant, retinuerunt,

SCHOLION. (*)

Cum in primo specimine præsentium *Satyrarum Medicorum Silesiacorum*, Icon partus Tab. III. cuiusdam, falso pro Hermaphrodito habiti, a celeberrimo D. D. BVRGHART, Physico Reichenbacensi communicata, mihi ante oculos venerit, qui partus *nostro bic Vratislaviae nato Iudeo* & hic Tab. I. delineato itidem pro Hermaphrodito a quibusdam falso habito, in multis similis esse videtur; his permotus sum, vt quædam de eodem referrem & communicarem. Hic nempe noster puer Iudeus, cuius mentio nuper in *Silesia nouis literariis* (In den gelehrten Neuigkeiten Schlesiens) Mense Februario 1736. pag. 60. seqq. facta est, a quibusdam etiam eruditis Hermaphroditus iudicatus fuit, an vero ita iudicantes recte aspexerint, & accurate non solum considerauerint, sed &, vt probe de eodem iudicarent, genitalia eiusdem rite inquisuerint, mihi non-

(*) Et istud ab AVTORE obseruationis profectum est.

nondum innotuit, neque de eadem re litem mouebo. Ego vero cum simul in præsentia memorati D. D. EICHHOLTZII, qui propria manu, monstrosa ista genitalia delineauit, accurate hæc visitarim, & nihil inuenire potuerim, quod signa characteristica genuini verique hermaphroditæ designaret, *eundem non pro Androgyno, sed pro homine quoad genitalia monstroso, quoad reliquas vero corporis partes, pro homine naturali, & masculo agnosco.* Etenim quamvis Hermaphroditorum species figuris ab auctoribus descriptæ inueniantur, quas partim pro diuersis circumstantiis descripsere partim sollicite depinxere, (BAVHINVS de Hermaprodit. lib. I. cap. 4. & RIOLANVS de Hermapb. cap. 12.) definitio tamen & conditio generis singularis attributis contenire debet. Sunt itaque secundum Magnif. D. D. MICHAELEM ALBERTI *Iurispr. Med. Tom. I. Part. I. §. 31. pag. 50.* aliorumque tam ICtorum quam Medicorum mentem, genuino sensu Hermaphroditæ, seu Androgyni: *Homines de vitroque sexu participantes, qui tamen pro diuersitate organorum genitalium differunt, ut nempe unum præ altero praevaleat, nunc virumque in uno eodemque gradu prestatu sit.* Et Celeb. PAVLVS ZACCHIAS *Question. Med. Legal. lib. III. Tit. I. quest. IX. num. 1.* scribit: *Qui vero dicantur Hermaproditæ notissimum est, & declarat ex Iureconsultis, in queritur. ff. de stat. hom. nimirum dici eos, qui partim babent membra viri, partim mulieris.* Et

A §

quod

quod Hermaphroditī veri vtriusque sexus genitalibus donati esse debeant, ex deriuatione ipsius vocabuli *Androgynus*, quod ab *āvñg vir & yvn mulier* deducitur, facile clarescit. Si eos itaque secundum ordinem diuidere volumus, non inepte faciam, si eos in *quatuor classes* redigam. Etenim I. inueniuntur *Masculi potentes*, ad agendum apti tantum, quorum sexus virilis muliebri præstat, imo qui & hæc, quæ viris in coitu propria sunt, peragere possunt, nullo modo vero mulierum vices subire. Et hi viris adscribuntur. *Leg. 6. §. 2. ff. de lib. & posthum.* II. sunt *Feminei potentes*, ad patiendum apti tantum: quibus genitalia muliebria præ virilibus præualent, & solum in coitu mulierum muneribus fungi possunt. Et referuntur ad mulieres *L. 10. ff. de stat. hom. & L. 15. ff. de Testam.* III. *Viroque parentes* inueniuntur, qui ad vtrumque parati & agere & pati possunt. *Conf. ZACCHIAS Quest. Med. Leg. lib. VII. Tit. I. qu. VIII. num. 24. 29. & 30.* vbi multifaria auctorum exempla & rationes enarrat. Quippe qui ad quale genus referendi sint, accurate determinare non possumus, sed hic a potiori concludere solemus, illosque huic generi annumerare, cuius genitalia præ altero sunt potentiora. IV. Sunt *neutro potentes*, neque agentes, neque patientes, qui quidem vtriusque sexus genitalibus prædicti, tamen neutrō aliquid præstare possunt, sed mere impotentes inueniuntur; de quibus *ZACCHIAS*

hunc

Lib.

Lib. cit. Lib. III. Tit. I. qu. IX. num. 3. ita differit: Poteſt vterque tam exilis eſſe, vt neque ad agendum, neque ad patiendum ſatisfaciat. vt in femina Aethiopica, de qua COLVMBVS Lib. V. Anatom. Et hi mulieribus adſcribuntur. CONF. IO. HENR. Nobil. de BERGER. Oeconom. Iuris lib. I. Tit. II. §. 3. pag. m. 44. Has itaque quatuor Hermaphroditorum ſpecies non ſolum iam memoratus celeberrimus BERGERUS loc. cit. conſirmat, ſed & ZACCHIAS loc. cit. itidem ſequentibus verbiſ ita deſcribit: Nam quidam, inquit, neque agere neque pati comode poſſunt, quidam ad virumque apti, quidam ad agendum tantum, quidam ad patiendum tantum, prout hic aut ille ſexus praualet, cui ſexus & adſcribendi. & num. 3. pergit: Praualet enim qui magis conſpicuus. & lib. VII. Tit. I. qu. VIII. num. 16. Sexus enim qui praualet mole ſemper magis conſpicuus, qui irriſus eſt, minus. Plura de harum ſpecierum diſſentiis fuſius legi poſſunt in SCHENCKII Obs. Med. Lib. IV. de part Genital. pag. 520. & ZACCHIA loc. cit. Ex quibus clare & diſtincte appetet, quod Hermaphroditii commode & iuste in quatuor claſſes diuidi poſſint, hi vero omnes vtriusque ſexus genitalibus inſtructi eſſe debent. Conſideremus itaque ſupra in caſu deſcriptum noſtrum partum, ſecundum eius corporis conſtitutionem. In eo quidem glandem membra viriliſ, ſerotumque ordinarium, & in eodem palpabilem, verum & maniſteſtum reſticulum,

MCMXII

membrumque virile reperimus; an vero alter testiculus in scroto præsens & absconditus fuit, id ob natiteneram adhuc texturam accuratius perscrutari mihi non licuit. Ast ubi alterum Hermaphroditii signum characteristicum, genitalia nempe muliebria inueniantur? Licet alii inferiorem *rimulam* tanquam naturalem & teneram *vulvam* definiant, vberrime tamen patet, si illius organa & requisita consideramus, nullam hic adfuisse. Extero enim aspectu *rimula* ista *Tab. I. Lit. b.* ita comparata erat, vt in illa neque *labia*, neque *Nymphae*, neque *Clitoris* sese manifestarent; sed rima ita conspicienda se præbebat ac si parvulum istud ligamentum extraordinarium *Tab. I. lit. g.* subtili scalpro quasi perfosum esset, imo etiam nisi eius tunica subtilis distincte stylo separaretur, hæc apertura nullo modo in conspectum veniebat. Nullum *Vaginae* uteri orificium *externum* aderat, licet vrina per exiguum illud foramen stillaret, aut proflueret; quapropter causam non video, cur, cum vere pars Hermaphroditii essentialis defit, hic partus Hermaphroditus nuncupari possit. Ego quidem clariori argumento nondum vietus, hunc Hermaphroditum non iudico, sed potius (quod tamen pro causa absolute tali non vendito, sed conjectura ex circumstantiis impulsus) pro errore quem inter formandum natura comisit, dum mater tempore imprægnationis reliquorum liberorum, variolis confluentibus ægro-

ægrotantium, genitalia tumentia frequenter aspicerit, habeo. Nam in scroto absconditum membrum virile natura ita formauit, ut accurate exterius tactu explorari potuerit, quasi inde masculinum genus indicaret, quamquam in ductu vrinæ excretorio, urethra scilicet aberrasset; cum enim peruersis ideis & imaginationibus matris, in operationibus suis adeo perturbata fuerit natura, quoniam per frequentem matris sensibili aspectum genitalium muliebrium, in reliquis liberis, eiusmodi peruersæ impressiones in mente excitari potuerint, ita ut anima secundum ideas matris operaretur & formaret. vid. COSCHWITZ *Organism. & Mechanism. Sect. I. cap. VII.* §. 39. sub Schol. p. 180. & seq. ZACCHIAS. *Quæst. Med. Legal. lib. IX. Tit. I. Quæst. vlt. num. 129.* seqq. NENTER *Fund. Med. Tom. II. Tab. CCVI.* pag. 947. de *nævis matern.* Hinc facile a vero & ordinario loco recedere, pudenda virilia relinquere & versus illum locum, ubi alias genitalia muliebria in statu naturali reperiuntur, ductum vrinæ excretorium præternaturaliter dirigere potuit. Nemo vero animæ rationalis formationem ita concipiat, quod anima rationalis embryonis secundum ideas matris formet, qua format; sed anima rationalis embryonis format secundum ideas fibi a primo tempore creationis a Creatore ad conseruandum genus suum communicatas proprias, ut, dum oculo imprægnato, secundum illas, formationis opus effi.

efficiat. Errat autem, dum cum anima matris intime communicat, sic ex eiusmodi ideis a matre fortuito casu ex improviso firmiter impressis, errorem committit, & secundum apprehensam a matre ideam tali communicationis lege, corpori embryonis eandem figuram apponit, & huiusmodi monstruosam formam in corpore embryonis efficit. Quomodo vero & a quo anima rationalis propagetur nullam controuersiam mouebo, neque contra aliorum hypotheses argumentis meis assurgam, sed cuiuslibet sententiam, bona pace intactam relinquam. Quod vero infans noster masculus censendus sit, ex genitalibus virilibus, quamuis aliquantum imperfetis patet, si enim membrum virile prominet & testibus associatur, et si etiam unus tantum appareret testiculus, testes vero signum masculinitatis sunt; confirmante ZACCHIA L. c. lib. VII. Tit. I. qu. VIII. num. 17. seqq. omnino pro masculo habendus est. Unicum adhuc dolendum est, quod meum in hoc casu idem factum fuit, quod supra memorato D. D. BVRGHARDTO, quod nec mihi nec alio medico, parentes huius pueri, vel ex negligentia, vel ex horrore, ne eorum caro & sanguis a christianorum manibus dilaceraretur & profundetur, mortem significauerint, sed iam sepulto, mortuum esse mihi indicauerint, alias nullam occasionem puerum cultro anatomico subiiciendi, prætermissem, ubi deinde naturæ error

ror & fortasse valde notabilis apprime inqui-
ri, & curiosis publicari potuisset. Interim nos
contentos esse oportet, idem a posteriori rela-
tum haberi, quod a priori detegi non po-
tuit.

Si autem curiosum nobis lubet intueri Her-
maphroditum, *sexum virumque* habentem tam
bene distinctam, ille erit homo succi plenus,
statura magnus, ætatis media, cuius genita-
lia *Tab. II.* delineata sunt, qui olim An. 1726.
in hortis olitorum Lipsiensium (in den Kohl-
gärten) nefario modo, lucri turpis causa, pu-
blice sese hominibus in conspectum dedit, po-
stea vero a Prænobilissimo Lipsiensium senatu,
post carcerem in curia passum, vrbe exire jas-
sus est, cuius genitalia die 23. Maii illius an-
ni ex viuo subiecto accuratissime secundum
naturalem magnitudinem (*) & longitudinem
a modo dicto D. D. EICHHOLTZ t. t. Med.
studioso in præsentia tum temporis Physici Lip-
siensium ordinarii, Prænobiliss. D. D. LISCH-
WITZ, nunc Professoris & Archiatri Holsati-
ci in Academia Killionensi, delineata sunt,

qui

(*) LECTORES monetur, hanc quidem naturalem
magnitudinem, in Scheda ab Experient. D AVTO-
RE delineata, præ se tulisse rari Hermaphrodit, eius-
que perfecte talis genitalia, heic vero (quum Ico-
num limites præscriptos extendere nobis non liceat)
quodammodo esse contrafacta, ita tamen ut additæ
scalæ beneficio, naturalis eotundem magnitudo re-
sticui facile possit.

qui mecum eadem genitalia adumbrata posse
fœta communicauit, cuius permisso hæc curio-
sitas ergo, apponere volui.

Explicatio Tab. I.

- a) Regio umbilici.
- b) Femur dextrum.
- c) Femur sinistrum.
- d) Scrotum quodammodo reclinatum.
- e) Cutis membra virilis apparentis corrugata.
- f) Glans cum retracto præputio penis.
- g) Ligamentum tenue extraordinarium in septo scrotri.
- h) Rima cum foraminulo, per quam vrina effluxit, pro vulua falso habita.
- i) Perinæum.

Explicatio Tab. II.

- a) Mons veneris. b) Præputium clitoridis.
- c) Clitoris. d) labia pudendi externi.
- e) Vrethra, ad vrinæ excretionem destinata.
- f) Glans penis perforata vrinam tamen non excernens.
- g) Penis. h) Testiculi duo.
- i) Orificio vaginali uteri.
- k) Nymphæ.
- l) Perinæum.
- m) Orificio ani.

OBSE-

OBSERVATIO III.

Febris continua, feminam, a cane rabido ante nouem septimanas morsam, corripiens, letalis.

Femina quadraginta annorum, aliquot liborum mater, habitus corporis macri, mense Februario 1736. ante Bacchanalia a cane rabido morsa, amplum vulnus in brachio sinistro accepit. Hoc vero post duas hebdomades citius quam par fuit consolidatur, & ante consolidationem spiritu vini, imo & ipso vino tepido saepius lauatur, adsumsit etiam, nescimus cuius consilio, aliquoties diaphoretica, vehementer diaphoresin cientia. Hac fabula peracta nos demum consulimur, nihil boni ipsi, quamuis adhuc sana sibi videbatur, praedicentes, sed potius suafimus, ut vulnus consolidatum iterum aperiri iuberet, quod tamen noluit, dicens: Sie wäre froh, daß das Loch zugeheilet wäre, und solte es wieder lassen aufschneiden? imo locum circumcirca scarificari renuit, dedimus itaque obstinatæ puluerem, alias hoc in casu non inutilem ex Rad. Pimp. alb. Bacc. Laur. Galang. Valerian. Antimon. diaph. Arcani. dupl. aa. Drachma vna paratum, singulis diebus bis sumendum semi-drachmæ pondere. Circa 12. vero diem Aprilis quum haec tenus bene se habuisset, de horrore & æstu subsequente, quos sudores lar-

Spec. III.

B

gi

gi excipiunt, incipit conqueri. Die post sequuntur anxietates præcordiorum, capitis dolor, & tussicula. Brachium antea vulneratum dolere incipit, & quasi sensum-amittere, præsertim circa vulneris consolidati cicatricem, quæ & omnis fere regio vicina violaceum acquirebat colorem. Die quinta demum prima vice aduocamur, inuenientes ægram febre laborantem continua, non quidem adeo vehementi, catharralem, hoc tempore grassantem, æmulante, adspectu quodammodo toruam, sudoribus perfusam frigidiusculis, mente anxiā, mortem, quam consiliis nostris non obediens sibi ipsi causasse putat, metuentem, vrina erat aurantii coloris sed clara, & quod notandum, menses, quorum fluxum ante quatuordecim dies experta, iterum adparebant. Propinauimus pulueres digestiuos cum præcipitantibus & Mixturam diapnoico-resoluentem ex Eff. Pimp. alb. Mixt. S. S. camphor., simulque adstantibus candide diximus, quod aliam morbi non expectaremus solutionem, nisi mortem, prægresso morsui, non febris indoli adscribendam. Die sexta, morbi eadem erat facies, nisi quod menses iterum cessarent, dolorque brachii olim mortu vulnerati auëtior fieret, & vrina atomis innatantibus splendidis (glänzendem Staube) mixta adpareret. Die septima, liberior erat quodammodo respiratio, & dolores post applicatum a chirurgo emplastrum sambucinum cam-

camphoratum leniores, sudores multi, vrina turbida cum sedimento limoso, mane nau-
seam, cum vomituriendi conatu sensit patiens,
statim tamen cessantem. His simul sumtis
luce meridiana clarus adparebat, naturam,
hac die, qui criticus erat, omnia, quæ vel po-
tuit, moliri, conseruationi corporis idonea.
Die octaua, quæ erat Aprilis, quum vrina ite-
rum limpidior esset redditia, quamuis non in
totum clara, nox præcesserit insomnis, anxie-
ties præcordiorum augmenta caperent, dolo-
resque in brachio recurrerent, vesicatoria sua-
demus nullam tamen opem ferentia. Die no-
na virium fere omnium prostratio, multæ fa-
liuæ spumescens ex ore effluxus, dolorum
fere omnium subitanea remissio, & extremo-
rum tam brachiorum quam pedum resolutio,
paralyseos ad instar, ita ut excrementa alui-
na & vesicæ, inuoluntarie & præter perceptio-
nem effluerent, nulla tamen mentis perturba-
tio. Die decima, Ptyalismus copiosior, fa-
cies hippocratica, extremonrum frigus, tempo-
rum sudatio, internus calor, respiratio anxia,
loquela difficultilis, mens tamen adhuc sibi con-
stans. Die vndecima, eadem symptomata,
sed in peius cuncta ruentia, & ægram magis
magisque debilitantia, ita ut singulis momen-
tis mors instare videretur. Ptyalismus copio-
sior, quam vlo ante die. Die duodecima,
& Aprilis 26, nocte insomni transacta, &
symptomatis omnibus grauioribus factis,

B 2

leuio-

leuioribus prægressis, & vix observabilibus deliriis, quæ ex vultu quasi ridente, verba enim, quæ fecit, difficulter vel plane non percipi potuerunt, colligebantur, mane hora octaua placide obdormiuit, &, quod notatum dignum, eo die scilicet Iouis, & eadem hora, imo fere horæ quadrante, qua ante nouem septimanas, a rabido cane erat morsa. Corpus demortuæ & facies præsertim statim tingebatur colore cærulefcenti, liuido, qui tamen post viginti quatuor horas iterum maximam partem evanuit.

SCHOLION.

Nullum forte venenum tam absconditæ, tamque periculosæ naturæ reperitur, quam *rabidi canis*, animalis alias ad consortium hominis quasi nati, & ideo Φιλάνθεωπον dicti, *saliua*, non semper subito aut uno vel altero post communicationem die, animal sive mortuum, sive illo alio modo infectum, sed longo interdum temporis intervallo demum interficiens. Raro tam adcurate se intra quadraginta dierum cancelllos, antequam suam vim exferat, ut quidam credunt, continere solet, vid. GREVINA de Venen. lib. I. cap. XXXV. pag. m. 134. sed potius, quandoque citius, quandoque tardius operatur, ut duo vel sex menses, imo interdum annus integer vel plures effluant, priusquam molestiaz quidquam percipient morsi, aut aliter inquinati. Ita quosdam,

dam, sputo tantum canis rabidi perfusos, nullo accepto vulnere, rabiem contraxisse, MATTHIOLVS *Comment. in lib. VI. DIOSCORID. cap. 36.* pag. m. 1009. quendam e sola manus in canis rabidi os, licet eam canis non morderit, impositione, rabidum factum IOH. MATH. de GRADIBVS *Consil. 82.* : quendam ex vulnere per gladium, quo canis antea rabidus interfactus est, accepto, hydrophobum SCHENCKIVS *Lib. VII. Observat. MEICHS-NERI;* quendam ex solo canis rabidi odore, & alium vnguis tantum rabidi canis leviter lasum, rabisum factum CAELIVS AVRELIANVS *lib. III. Auctor.* referunt. Plures etiam absque morsu inficiendi modi legantur ex aliis collecti apud SENNERTVM *lib. VI. Prax. part. VIII. cap. XXX.* pag. m. 354. ETTMVELLERVM *Colleg. Pract. lib. II. Sect. III. Cap. IV. Aric. IV. membr. I. operum Tom. II.* pag. m. 969. seqq. Excell. MICH. ALBERTVM *Tent. Lex. Real. Med. Tom. I. & II. voc. Canis. Rabies.* add. GASP. de REIES *Camp. Elys. quest. LXI.* pag. 786. seqq. Alterum, quod omnem fere rationis aciem obtundit, est veneni tam diu in corpore latendi consuetudo, antequam euigilet, atque horrendos suos edat effectus. Sic FRA-CASTOR, *lib. II. de morb. coniag. cap. 10.* post quinquennium demum, tale venenum suam iustisse fabulam testatur: ALBERTVS, solus inter philosophos MAGNVS dictus, vero *lib. VII. Histor. Animal.* cap. 2. scribit, se vidisse

hominem mortsum a cane rabido in brachio
& anno septimo post incepisse inflari locum
cicatricis, & mortuum esse intra duos dies.
Per tredecim annos LINDANVS super HART-
MANNVM referente ETTMVELLERO *loc.cit.* ;
imo per viginti latitasse IOH.SCHIMIDIVS *Ephe-
mer.Nat.Curios.Decad.I. Ann.IX. & X. Obs.XLIH.*
pag. 116. & demum homines misere iugulasse,
venenum morsu canis rabidi corpori instilla-
tum, memorie prodiderunt. Nec prætermit-
tendum est, horrendum illud exemplum a
SALMVTHO *Cent. I. Obseru. XCVI. pag. m. 57.*
relatum, de nobili quodam, a cane melitæo
rabie correpto, in faciem commorso, qui diu
seminariis istius veneni in sinu quasi fotis,
postea ea nocte, qua sponsam in matrimonii
sociam duætam, prima vice geniali thoro exce-
pit, subitanea rabie adeo corruptus est, vt
eandem canum more arroderet, misereque
dilaceraret. Curam morsus rabidi canis, præ-
ter allegatos, omnesque fere, qui de vniuer-
sali morborum Therapia, Systemata condide-
runt, tradit Excell. MICH. ALBERTI *in prax.
extempor. sive conspect. Casuum reseruat. Therap.
medic. annex. Cas. XXI. p. 1087. seq. add. IOH.
DAN. GEYERI* Gute Gedancken von der S. Hu-
berts-Cur, qui *Discursus*, vt vocat, est XI. in
suis Horis itinerariis subscrisuis Dresd. 1735. in
4to editis. His præfatis paulo propinquius
ad nostrum accedamus casum, qui, quam-
uis ægra hydrophobiam ipsam, extremumque
ra-

rabiei gradum experta non est, multum ta-
men ostendit, quod aliquam mereri videtur
attentionem. Peccatum enim, ex nostra sen-
tentia, & quidem primario in eo est, quod
vulnus, contra omnium prudentiorum præ-
cepta, iusto citius consolidatum, & ita mias-
mati venenosο, humoribus, vel quod nobis
probabilius videtur, ipsis nerueis filamentis,
aut carnosis fibris profunde sese insinuantι,
aut pertinacius adhaerenti, occasio egredien-
di, siue per diurnam adfluxu humorum ex-
citatam suppurationem eluendi, suffurata fuit,
obturato enim per præcipitatam curam, & in-
consulto adhibitum vini spiritum, quem pro-
pter vim tubulos fibrosos constringentem, &
ideo repellentem, nec non humores coagu-
lantem, huic læsioni incongruum & per con-
sequens noxiūm præsidium iudicamus, fora-
mine, venenum morbi illitum, non solum in
corpore remansit, sed & diaphoreticis vehe-
mentioribus, insuper omne humorum syste-
ma in orgasmum præcipitantibus, altius infi-
xum, totique liquidorum massæ, circulatio-
nis lege, intime admixtum est, præsertim,
quum ægra vulneris iteratam apertio[n]em, aut
ad minimum circumiacentis regionis profun-
dam scarificationem renueret, & negligeret.
Curiosum deinde phænomenon est, menstruo-
rum citius adparens profluuium, quo sibi na-
tura, corporis conseruationem vnice & anxie
intendens, præsenti iam febre auxilium ferre,

B 4

simul.

simulque veneni quandam portionem , anticipato etiam , quia periculum erat in mora , consueto purgationis tempore , eliminare voluit . Febrem ipsam quidem , qua talem , morbum tantum superuenientem , & cum morsu canis proprie non coharentem , in corpore tamen mirabili veneno infecto , pro summe periculo . & vix alterius quam funesti evenitus capaci adfectu statim ab initio habuimus . Satis porro naturæ omnimoda molitio , in salutari crisi die congruo excitata considerari nequit , qua , quantum corporis atque circumstantiarum permisit conditio , utrique malo , & febri scilicet . & veneno resuscitato mederi , omnibus viribus nitebatur . Huc etiam pertinet admirabilis illa , sed corpori omnino funesta , venenatæ lymphæ aut seri , metastasis , in ptyalismum soluta , & , ut per dolores in olim vulnerato brachio imminutos (qui nil aliud , quam leuiores spasticæ commotiones , ad venenum , adhuc circa cicatricem maxima parte hærens , expellendum , institutæ videbantur esse) coniicere licebat , noxia excernendi fine , excitata . Quum vero hoc modo , fine quidem suo potiretur natura . simul tamen distribuit venenum per totum corpus , alias enim per saliuales glandulas excerni non potuisse . Vnde si quid recte coniiciamus , omnium , post molitam die septimo quidem , ast præsenti malo vincendo imparem crisin , statim in peius ruentium symptomatum conditio

ditio liquido deducenda. Illud etiam, quod scilicet patiens plane facta non sit hydrophoba, aut rabiei obnoxia, mensque sibi fere semper constans fuerit, sicco non prætereundum pede, sed duplice forte causæ adscribendum. vel, quod canis, quum dentibus brachium dilaceraret, nondum extremo rabiei gradu laborauit, & ideo venenum adhuc paulo mitius saliuæ mixtum vulneri instillavit; (nam adstantes, ægra verbis fidem faciente, mihi fatebantur, quod morsu perfecto canis nondum omnia rabiei signa, sed ea demum post aliquot dies ostendisset) vel quod pars veneni volatilior & ideo magis actua, per crisin febri catharrhalis propriam, eliminata fuit; vel quod vtrumque simultaneam opem tulerit. His fundamentis nixa omnibus patet, & medendi adhibita methodus, & mox ab initio prolatum præsagium, tristi euentu adprobatum. Ne autem LECTORVM patientia diutius, quam decet, abutamur, nil ultra hoc de casu proferemus, sed pauca tantum more nobis familiari, inde volumus elicere conjectaria. I. Vulnera morsu canis rabi di contingentia, tam diu, quam potest, aperta seruentur. II. Aut si cito nimis clausa sunt, iterum vel ferro, vel igne maioris suppurationis excitandæ causa, aperiantur. III. Dia-phoretica imprimis vehementiora, vulnera rabido cane morso, citius quam par est, consolidato propinata, venenum massæ potius

B 5

fan.

sanguineæ magis immiscere, quam hinc expellere videntur. IV. Febris, licet alias per se periculo careret, rabido cane morsis, & a veneno eiusdem nondum plenarie purgatis supercrueniens, pessimi euentus. V. Crises febri tali familiares, consuetæ in eiusmodi subiectis, morbo in melius mutando, atque pristinæ sanitati restituendæ, insufficientes apprehenduntur. VI. Ptyalismus in subiectis veneno rabidi canis infectis, quamvis criticæ videatur esse indolis, vix alium quam funestum post se relinquat effectum.

OBSERVATIO IV.

D. GOTHOFREDI HENRICI

BVRGHARTI

Medici Vratislauiens.

Morbi spasmodici circa Sabothum longe latè que grassantis, Historia.

§. I.

PAULO post hyernis initium 1736. horrendus in vicinia Sabothi montis, imo, ut alii relationes testabantur, per omnem fere Silesiam, circa Sudetum radices, MORBUS SPASTICO-CONVULSIVVS, integros pagos infestans grassari, incolasque misere vexare cepit; Cuius præcipua phænomena SCHLAVITZI præsertim, Illustr. SCHOEN. EICHIORVM familiæ peculio, per aliquot menses obseruata, communicare mecum consti.

stitui, & quidem ex litteris, eo tempore hac de causa ad Excell. D. Doct. L.... in K.... Medicum doctum, celebrem, longeque prae-
xeos vsu exercitatissimum, Fautorem atque amicum aestumatissimum IV. Id. Decembr. exar-
atis, historiam morbi ab initio prolixe recen-
sentibus, sequenti modo:

P. P. Es aussert sich unter den Schlaupitzer Unterthanen eine besondere Art von Krankheit, welche ich Ew. Hoch-Edl. berichten, und mir zugleich dero selbsten hochverständiges Urtheil darüber ausbitten wollen. Es werden nemlich die Patienten (und meist solche, welche entweder an noch Kinder, oder doch nicht weit über die männlichen Jahre hinaus, sonst aber strictiori corporis habitu, dura carne, & exilioribus tubulis san-
guiferis praediti, sind) anfänglich mit einem starken Krampff, ohne daß sie vorher was an-
ders geklaget, meist unversehens an den Händen befallen, so daß ihnen dieselben ganz krum gezogen, und zu den willkürlichen Bewegungen un-
fähig gemacht worden. Bey einigen Kindern blieb dieser Zufall nach etlichtägigem Gebrauch der antispasticorum nitrosorum, coniunctis diaphoreticis fixis weg, und wurden folglich re-
stituirt. Wenn aber bey ihnen, und insonderheit bey bereits ziemlich erwachsenen, diese Medicamenta nichts ausrichteten, und die per paroxismos reuertirende spastica constrictio nicht nachgabe, so brach sie endlich in heftige und vniuersale conuuulsiones aus, wobey der Gebrauch der

der äusser- und innerlichen Sinne und der Sprache cessiret, so daß nichts als ein erschreckliches Brüllen, oder, wie man hier saget, Gillen, übrig bleibt. Die Patienten werden ungeinein heftig beweget, so daß oft etliche starke Männer kaum einen erhalten können. Diese contuulsiōnes lassen niemals ganz nach, ob sie gleich zu weilen etwas von ihrer Heftigkeit verlihren, bey einigen dauren sie schon sieben Tage. Keine evi-dente excretiones, außer etwas Schweiß, wor-nach der Kranke sich ein wenig ruhiger aufführet, sind anzumerken gewesen. Alius erat maxime & in quibusdam obstinate ultra septen-dium obstructa; vrina pauca, vt plurimum clara, citrei coloris, sanæ simillima; adspectus toruus vt in maniacis; oculi vitrei, sehen steiff und starr auf eine Stelle. Keine würckli-che Fieber-Bewegungen habe spühren können, wiewohl überhaupt der puls wegen des beständi-gen Zuckens und hin und herwerffens fast unmög-lich accurat zu inquiriren ist, doch scheinet der Schlag quodammodo durus & inordinatus zu seyn, mehr langsam als geschwind. Anfäng-lich, als sich die Krankheit nur erst zu melden an-fing, und nur eine oder die andre Person damit befallen ward, hieß ich den adfect vor gewöhnli-che pathemata spastica, womit die natur entwe-der hæmorrhagias narum, oder bey erwachse-nen, ad affectiones hypochondriacas geneig-ten Leuten, excretiones sanguinis per hæmorr-hoides intendirte, aber, weil sie damit nicht zu Stan-

Standen kommen könnte, einen so terriblen vacarm anfinge, indem es bisher nur Kinder und Manns- personen angegriffen. Ich bin also deswegen dem Übel mit antispasticis, temperantibus, nitratis, diaphoreticis fixis, und lenioribus resoluentibus, interpositis tonicis, auch laxantibus, worzu aber ziemlich starcke nöthig waren, weil die leniora gar nicht einmal durchgeschlagen, bisher entgegen gegangen, habe aber nichts sonderlich fruchtbarliches ausgerichtet. Largam venæctionem bey hierzu geschickten Cörpern, in pedibus, ingleichen pediluuia, frictiones pedum & surarum habe auch angewendet, es will aber weder besser noch schlimmer drauf werden. Weil nun diese Krankheit auf angeregte methode bisher nichts geben wollen, ob zwar noch niemand von denen daran laborirenden gestorben, so bin bald auf die Gedancken gerathen, daß hinter dieser Krankheit etwas mehr als gewöhnliches stecken müsse, indem verschiedene Personen, und zwar meist auf einerley Art, davon besallen worden. Die zeitherige, ungewöhnlich nasse und kalte, unbeständige, stürmische Witterung, nebst dem vorhergegangenen unordentlichen Sommer scheinet mir wohl guten Theils die Cörper hierzu prædisponiret zu haben, ob sie aber alleine hieran schuld sey, getraue mir jetzt noch nicht auszumachen. Solte auch wohl das Lolium temulentum, welches auf hiesigen Feldern unter dem Sommer-Betreyde in grösster Menge gewachsen, und bey heutigem Getreyde Man-

Mangel von den Leuten unter dem Brodte zur täglichen Nahrung genossen wird, etwas dazu contribuiren? Ich habe Specim. I. Satyr. Med. Sil-les. Obs. VII. die phænomena desselben, welche vorm Jahre im Lignitzischen davon obseruirt worden, mit eindrucken lassen, daher ich nicht unbillig bey gegenwärtigen circumstantiis morbi mit drauf gerathen. Doch will ich mit dieser Gedanke Ewr. Hoch-Edl. parere nicht vorgegriffen, sondern vielmehr nochmals ergebenst ersuchet haben, mir Dero tieff eindringende Meynung kürzlich wissen zu lassen, auch etwa einen Vorschlag zu thun, wie und welcher Gestalten denen erbarmlich gemarterten ægrotis fernerhin Hülffe zu leisten? ob mit der angefangenen methode fortzufahren, oder etwa darinnen einige Aenderung zu treffen? &c.

§. II.

Hanc epistolam, post aliquot dies, præsens exceptit responsio. P. P. Sie haben beliebet mich zu fragen, was ich von dem morbo spastico halte, der sich um Mellendorff und Schlaupitz hervor gethan, und sich ieho noch ereignet. Darauf Ewr. Hoch-Edl. kürzlich antworte: Daz eben dieser morbus den ganzen Sommer über und noch ieho etwas, auch in hiesiger Gegend an nicht wenigen Personen, doch nur gemeinen Leuten gesehen worden; es sind auch einige daran gestorben, die meisten aber evadret. Die Ursache dessen ist wohl ohne Zweifel, die, dieses ganze Jahr durch, sonderlich im Som-

Sommer, ungewöhnlich gehabte tempestas, oder aér frigidus, humidus, condensatus, welche darzu maxime inconstans gewesen, eben dergleichen Krankheit grässerte nicht wenig 1702. im Lüneburgischen, und 1716., oder wo ich nicht irre 1717. in ganz Sachsen bey ungewöhnlich kaltem, feuchtem und unbeständigem Sommer, in welchem alldar die Feld-Früchte nicht behörig reißt worden. Von welchem morbo einige Sachsische medici, die sie die Kriebel-Krankheit nennen, ihr Bedencken in Druck gegeben, fast in einerley Meynung: daß das mit dem rechten Korn an denen Aehren gewachsene Mutter-Korn, wie auch das Lolium daran schuld sey. Allein ich kan dieser Meynung nicht Beyfall geben, weilen I. hier, wie auch dazumalen in Sachsen, diese Krankheiten schon entstanden, ehe man die Früchte aus dem Felde eingesamlet, und die Leute davon Brod backen und essen können: II. müste ein solches contentum und sanguini immixtum materiale als ein venenum alle Leute, die dergleichen Brod essen, in dergleichen morbum werffen, so doch dazumalen, wie auch iezo hier, nicht geschehen. Also, daß ich nicht anders schliessen kan: Es ist dieses morbi spastici, die sehr kalte, dicke, feuchte, unbeständige zur Sommers-Zeit nicht gewöhnliche Lufft, die noch darzu beständig aus Süden getrieben worden, Ursache, welche den sensum solcher Personen, die rheumatico - spastica nature sind, sobesonders afficiret. Diese meine Meynung
richt

TOP

recht demonstratiue zu machen, so wohl quoad sensum hominum, als auch wie die qualitates aëris in corpora animalia würcken, und die Natur motus darwider instituiren müsse, item wie diese morbi spastici mit denen andern bisher herumgehenden morbis, was nemlich die causam betrifft, einerley Ursprung haben, dürfste zu weitläufigtig fallen. Was aber die Cura dieses morbi anlanget, so haben die sudorifera terrea den besten effect gethan, so ferne sie bald sudorem eliciret, und sind diese Patienten bald reconualesciret, bey welchen aber dieses nicht geschehen, dazu der Patienten kein behöriges regimen gehalten, die haben lange Niederlagen gehabt, da denn in solchem Fall der Tartarus als ein decotum getrunken, am besten gethan, oder auch Tartarus in forma pulueris mit rad. Aristoloch long. vera, oder auch nur nostrate vermischtet, item salina antifebrilia, weilen diese Krankheit doch eine Art vom febre spastica ist. Wie steril aber die schola medica an remediiis vere anti-spasmodicis ist, wird man in praxi satsam gewahr. &c.

§. III.

Sic prima quasi sua periodo se gessit morbus, paulo post atrocior factus, & feminas, haec tenus intactas inuasit, & quosdam ægrotos e viuorum consortio migrare iussit. Non solum enim multo plures ægrotare, sed & grauius decumbere inceperunt. Pueri mitius antea habiti adultis æquales reddebanur.

Hor-

Horrenda symptoma, atque spasmi, extre-
mas corporis partes, brachia videlicet, pedes,
caput, oculos, labia, mitum in modum con-
uellentes, omnem rationis usum delentes,
nullis compesci potuerunt praefidiis. Raro
ante tertiam septimanam, morbus quidquam
remittebat, plures vero, qui praesertim ne-
que medicamentis uterantur, neque conue-
niens regimen obseruare voluerunt, ad unum
vel alterum mensem detinuit. Quibus fe-
bris, continua quasi, superueniebat, largos,
praesertim tam post febiles quam spasticos pa-
roxismos, eliciens sudores, hic citius euase-
runt. Qui autem moriebantur paulo ante
decessum resolutionem membrorum paraly-
todem, imo & ipsam apoplexiā videbantur
pati. Feminis prolixiores inducias concessit
morbus, tunc demum eo vehementius furens
quum menstruum vegetal esset soluendum,
hoc solito præter ingentem virium prostra-
tionem per aliquot septimanas parum con-
questa sunt, donec rediens luna nouas re-
fuscitauit turbas.

S. IV.

Quibus demum, siue post breuius siue lon-
gius spatium, euadere datum, quod tamen
plurimis factum esse testor, his per notabile
temporis intervallo membrorum debilitas,
imo vnius vel alterius quasi rigor, & mouen-
di quædam impotentia mentisque torpor
(Sie blieben eine ziemliche Zeit als ob sie schlaf-
Spec. III. rig

rig oder besoffen wären, müsten sich auch bisweilen auf das, was sie sagen wolten, einige Zeit besinnen) restabat, pristinæque, & per morbi crudelitatem, amissæ vires tarde redibant.

§. V.

Maxime tamen morbus Ianuario mense anni 1737. & Februario furebat, proprius vero ad æquinoctium vernale accedens mitior factus est, ita ut ægrotantium numerus sensim sensimque minor redderetur, & qui, hucusque liberi, iam demum laborare inceperunt, neque tam grauiter decumberent, neque medico tam multum, quam antea, negotii facesserent. Quod vero adeo mitis circa Iauorium, ubi morbus spastico - conuulsivus hucusque etiam, mense scilicet Martio, dum haec scribimus, grassatur, non sit status, literæ Dn. D. SCHWERDTNERI Iauoriens. Med. celeberrimi, Amici perquam colendi, nonis Martii 1737. ad me conscriptæ testantur, inter alia sequentia memoratu digna facientes verba: Mit denen affectibus spastico conuulsivis siehet es recht erbärmlich aus. Es sind sonderlich zwey Dörfser, worinnen fast keine Leute mehr übrig, die nicht von dieser schmerzhaftesten Krankheit betroffen worden. Sie kriegen anfangs Reissen in allen Gliedern, nebst wunderbaren Zuckungen dererselben, nachher findet sich Schwindel, Kopfweh, Erbrechen, und in wenig Tagen das Garaus. Etliche habe ich fal-

saluiret, etliche aber sind würcklich drauf gegangen. Eines Theils mag wohl das schlechte Getreyde zum Brod Ursache seyn, andern Theils aber das gewaltig nasse Wetter, und grosse incommodität vom Wasser, so die Leute ausstehen müssen. Daher ich auch vor allen Dingen den Körper zu euacuiren gesuchet habe, vomendo, purgando & sudando, weilen würcklich gesehen, daß blandiora medicamenta hier nichts verfangen wollen, accedit, daß dieser morbus meist zur Zeit subiecta robustiora betroffen.

§. VI.

Quod ad curam adtinet malo oppositam, sciendum, plures egestate pressos, quum, quod nummorum supererat, annonæ, cuius raritas & caritas in vulgus notæ, potius emendæ, quam corpori curando impendere, necesse haberent, naturæ communiter autocratia mali expulsionem reliquise, &, si verum fatendum, citius interdum ac felicius præ reliquis, copiosis aut incongruis, qualia domestica imprimis, proprio vel vicinæ cuiusdam consilio, dubio vt plurimum successu adhibita sunt, remedii obrutis, sanitatem recuperasse. Interea tamen diaphoretica fixa, & terrea præcipitantia, tartaro crudo, nitro, vel tartaro vitriolato mixta, largiter & repetitis vicibus data, cum regimine conueniente, utramque fecerunt paginam, non neglectis,

C 2

vbi

vbi proficua coniiciebantur, primas vias purgantibus.

§. VII.

Dignum profecto iudicamus hunc spasticum morbum per omnem fere prouinciam, faciente huius rei fidem publico rumore, priuatisque hinc & inde ad me datis literis, atrocissime grassatum, ut eius causa adhuc tria addamus verba, quæ olim a practicis circa eundem notata sunt, concernentia. Non nouus, aut paulo superiorum sacerdorum medicis ignotus, sed iam anno 1596. & 1597. in electoratu Colonensi, in Westphalia, Hassia, comitatu Waldeck, Wittgenstein aliisque prouinciis; (confer Professorum MARPVRCGENSIVM Consilium de hoc malo 1597. in 4to editum) postea 1648. & 1649. item 1675. in Variscia, & imprimis in ditione Plauuiensi obseruatus est, vnde καὶ ἔξοχην die Plauische Kriebels Krankheit dictus & integro tractatu a GEORG LEISNERO Med. Plauuiens descriptus est. Extra Germaniam, in Gallia scilicet 1709. & 1710. nidulabatur. Anno demum 1716. & 1717. vid. Breslauer Sammlungen 1717. Mens. Iulio. Class. IV. Artic. XI. pag. 87. seqq. Lusatiam, & 1722. nostram Silesiam, vid. IOH. GODOFR. ANDREAE Luben. Sil. Dissertat de Morbo Spasmodico populari Silesie Witteberg. sub B. CHRIST. VATERI præsidio mense Aprili 1723. habit. misere vexavit. In varias etiam abeunt, ut communiter solet fieri, senten-

tentias medici, materialem causam definientes, alii fomitem in alimento vitiioso, clavis præsertim fecalinis (Korn: Zapfen, Mutter-Korn) quarentes, quibus tamen contradicit IOH. CHR. WOLFF, *Dissert. sub B. GEORG. WOLFF. WEDELII præsidio, de morbo spasmatico epidemicō maligno in Saxonia, Lusatia vicinique locis graffato, Ienæ 1717. habita*: alii inconsuetam aeris temperiem prægressam adculsan tes, & forte majori verosimilitudine: alii vtrumque coniungentes, & nostra quidem sententia, recte. Quare, ne iusto prolixiores videamur, mentem nostram sequentibus confessariis, paucis declarabimus. I. Imbris assidui, æstate præsertim cadentes, consentiente HIPPOCRATE III. Aph. XVI. morbos spasticos gignunt. II. Austri, humido, turbido, inconstanti aeri, sociati, continuo flantes in corporibus ad Rheumatica pathemata dispositis, spasmodis facile dant occasionem. III. Morbo spasmatico populari, præ reliquis obnoxia sunt corpora, nutrimento prævii succi, quali præsenti anno lolium temulentum fuit, vtentia. IV. Spasmodis præ cæteris corripuntur corpora stricta, si se aeri turbido, & pluviæ incongrua tempestate continuo decidenti, exponere & quidem indies teneantur, vt hoc anno, rus colentes. Raro enim morbus huius anni spasmaticus vrbium incolas, aut alios, qui a cœli iniuriis sibi quodammodo cauere potuerunt, nec pluviis quotidie sese

C 3

in

in prædam dare debuerunt, inuasit. V. Sudores largi spasmorum epidemice grassantium vim notabili modo infringunt. VI. In morbis eiusmodi spasticis conueniens regimen plus interdum efficit, quam remedia. VII. Turbata semel in morbis spasticis natura, siue per sinistram medendi methodum, siue per conuenientis regiminis neglectum, omnia in peius ruunt, morbus admodum fit longus & obstinatus, nec nisi satis difficulter cedit.

OBSERVATIO V.

Calamitatum Physicarum, Silesiam bacillus prementium, brevis recensio.

Vix nostræ gentis annales uno anno tantam naturalium calamitatum vim patriæ nostræ interitum aut totalem fere vastationem minitantur memoriarum posterorum prodiderunt, quantam annus præterlapsus 1736. & præsens 1737. genuerunt ut, easdem vel fugitiuo considerans oculo, diceres, summum numen clementiam suam, mille modis, largitis scilicet liberrime donis, uberrime testatam, ab incolis vero, non tam grata quam par fuit mente acceptam, multo minus datori optimo maximo decentes redditibus gratias, sed potius spernentibus, iisque abutentibus, in rigidissimum mutasse furorem. ELEMENTA certe cuncta in hominum ineffabile commodum creata, in flagella poenasque conuersa sunt, quibus iusta contra vitia nra-

stra accensis ira DEVS, commissa in eundem
friuole peccata, vlcisitetur, vt illud ni fallor D.
AVGVSTINI: *Diuinam nempe iusfitiam ire tar-*
ditatem, grauitate pœnae compensare verissimum
esse, nosmetipſi sentiamus. Primam quam
immisit plagam, sed eheu corda nostra,
quod in perpetuum nobis opprobrium dictum
sit, lapide quolibet aut metallo forte duriora,
nondum mollia aut flexibilia reddentem, con-
tinua fere PLVVIA constituit. Quis nescit
eandem non per dies aut septimanas, sed in-
tegros aliquot menses ab æquinoctio vernali
1736. ad solsticium æstiuum, immo ultra per-
petuo fere cecidisse? vt, nisi Deus iuramento
ſeſe obſtrinxisset eiusque paeti cuin NOA-
CHO, altero humani generis parente, conclu-
ſi, Iridem ſignum conſtituiffet, credibile vide-
ri potuifſet, cœlorum fenefras ſeſe iterum a-
peruiſſe, nouumque CATACLYSMVM immi-
nere SILESIAE. Excidat, fortassis posteri
clamabunt, illa dies memoriae, nigroque la-
pillo notetur, atque nefastus, infelixue ma-
xime habeatur, qua vndarum moles & impe-
tus, nullis ſe ripis, aggeribus, aliisque con-
tra illuuiem ab hominum necessitate excogiti-
tatis adminiculis coercere aut intra consuetos
limites continere patiebantur. Nunquam
myriades incolarum 2. 3. 4. 5. Iulii dierum,
tertiam fere Sileſia partem vndis ſepelien-
tium, aliter quam largo acerbissimarum la-
chrymarum profluvio recordabuntur, cam-
pos-

posque segete latos , grauidos , prata virentia , hortos amoenos , fabulo , glarea , limo obductos , vastatos , spemque agricolis per plurium etiam subsequentium annorum seriem , in nihilum redigentes ; Domos casulasque , aquarum frenari nescio impetu resistendo impares , supellecilem simul perditam , absorptam , & aliorum deductam , pecora submersa , imo interdum ne ipsis quidem proximis sanguine iunctis exceptis , omni vita superstitis tempore conquerentur . (*) Quum vero illuuiies , propter continuam pluuiam & alueorum angustiam , tantæ aquarum vehendæ quantitatæ , spatium negantem , per aliquot septimanæ terram tegeret , & in superiori Silesia ingens piscinarum numerus aliæque paludes stagnantes putridæ , limites perrumperent , ipsa aqua fœtore non solum graui aerem inquinauit , sed & acredinem quandam corrodentem contraxit , sibique iunctam habuit , vt & hominum & iumentorum , diu vel sâpe per

vn-

(*) Inundationem , de qua loquitur obliteratio æternæ memorie commendare nîsus est , artificiosissimus Wratislaviæ cælator KITTELIVS , numo cuso , cuius vna facies exhibit inundationem , arbores , domosque dirutas , fluætibus eiusdem innatantes cum epigraphe : O ! WIE . VIEL . infra : SCHLEISCHÉ WASSERSNOTH 1736 . ; auersa vero fasciculos quosdam straminis , duas tribulas & admodum paruum granorum frumenti aceruum , cum lemmate : O ! WIE . WENIG . infra : SCHLEISCHÉ HVNGERSNOTH 1736 .

vndas euntium, pedes, lacinantibus, & mordentibus quasi vexarentur doloribus, intumescerent, epidermis abscederet, erysipelas & id haud raro vesiculoseum, vlceraque ut plurimum manantia maligni moris, diuturnæ durationis, difficultisque sanationis succederent. Hæc tamen nondum satis miseriarum, sed prologus tantum erant instantis tragediæ, sequebatur enim propter nimiam humiditatem TERRÆ STERILITAS & vniuersalis inde proueniens ANNONAE raritas atque caritas, eiusque filia FAMES. Vix anno 1736. finito Wratislauiensis modius fecalis pro diuerſitate locorum quatuor, quinque immo pluribus thaleris venditus est, pretium alias vix vnius floreni vel Thaleri habens. Triticum paulo maioris, Hordeum paulo minoris, Auena duobus thaleris, alias vix decem grossis emebatur. Quare mirum aut incredibile nemini videri potest, quum relatum leget, pauperes, vacui ventris, qui auribus semper caret, murmur, cibis alias non sine nausea nominandis, pacasse, canibus, felibus, cæterisque animalibus, quibus ordinario vesci his locis nemo solet, famis sedandæ causa non pepercisse, immo quod horrendum dictu est, ipsosque coruos deluisse hiantes, escam eorundem, id est brutorum corpora demortua, semiputria interdum, a carnifice in loco quidem his cadaueribus excoriandis publice destinato, sed infami, auiibus carniuoris rapacibus obiecta, clam surriputisse,

C §

puisse,

puisse, suæque mensæ epulas exinde parasse. His calamitatibus nouum accessit multis in locis pondus, ab elemento omnium leuissimo, verum etiam omnium crudelissimo IGNE. Ingens certe vrbium pagorumque terræ nostræ numerus est, flante vel furente potius austro, aliisque ex occidentaliori plaga ventis, maxima parte in cineres redactorum, in quorum classe præ cæteris nominari meretur PETERSWALDA celebris Diœcœsos Reichenbacensis in Ducatu Schwidnicensi pagus admodum longus, beneque cultus, cui 7. Decembris fatalis fuit, quia incendio in superiori parte paulo infra fontem soterium (*) ante aliquot annos, ut facile credebatur miraculosis effectibus, magnum dans strepitum, casu apud molitorem quendam mane exorto, & a venti vehementissimi furore, momento citius longe lateque extenso, aliquot horarum spatio ultra CCC domus absuntæ in fumum & fauillas redactæ, quinquaginta vero homines partim flammis, quarum celeritati effugere difficultum fuit, statim necati, imo in ipsis lectulis somnum mortis imaginem adhuc capientes assati, partim miserrime grauiterque læsi sunt. Sed mittamus adcuratiorem huius plagæ recentem.

(*) Quem Celeb. SIGISM. HAHN Med. Schwidnicensi. 1732. scripto germanico sub Tit. Petersswälder Gesundheits Brunn, Schwidnicii 4to laudatum exhibuit.

censionem, non tam ad nos, quam, qui POH-LII *Historiam Incendiorum* nouis & prolixis accessionibus ampliare laborant, potius pertinentem. Supereft adhuc AER, Fabulam suam tam probe demum ut cætera ludens. Ab Octobri quidem anni 1736. vsque ad medium Ianuarii sequentis, singulis fere diebus ventus partim ab austro partim occidente flauit, plus minus impetuofior; Nulla tamen tempeftas per integrum præterlapſum, immo forte antecedentes multos annos parem habuit illi, quæ nocte intra 21. & 22. Ianuarii 1737. fuit. Tam horrendus erat venti, medium intra meridiem & occasum locum primo tementis (cuius tamen loci vbi nos obſeruauimus conſtitutionem, vicinos nempe Sudetes, cauſam fuiffe coniicimus) poſtea ex occidentalı plaga irruentis, demum quodammodo versus Borealem regionem ſefe vertentis, impetus, vt nulla in omni Sileſia vrbs, nullus pagus, qui aliquid damni paſſus non sit, multi vero adeo miſere habitu inueniantur, vt, quæ ſuperfunt tuguriola, incolas, vix ac ne vix quidem, contra tempeſtatem pluuiosam, contra niuem aut alias cœli iniurias defendere queant. Multi homines ſub ipſis ruinis ſeptili, multi ruentibus ſuper caput domiciliis profunde vulnerati, aut grauiter contuſi funt, ne quid de animalibus, ouibus præſertim aut vaccis, stabulorum compage diruta, occifis, & contritis dicam. Sylvas eſſe adeo vaſtas, arboribus-
que

que proceris orbatas adfirmant, qui viderunt, ut damno describendo non satis verborum inueniant. Compertum nobis est, vnico superioris Silesiae Comitis mediocri territorio, centum & viginti millia truncorum, ad ædificandum omnium aptorum, hoc uno ventorum impetu, prostrata vel fracta fuisse, non numeratis adhuc minoribus arboribus. Ex hoc vnico exemplo, respectu totius prouinciarum facere licebit calculum. Nec hoc tacendum, quod circa medium noctem, vento extremum vehementiarum gradum adepto, aliquoties ex nubibus Sudetum cacumini insidentibus fulgura conspecta, horrendumque tonitru, terribilem sonitum suum tempestatis murmur miscens, auditum sit. Tam rara tamque insolens venti fuit vis, ut Anglia, Gallia, Belgium, Dania, Suecia, omnis Germania. Polonia, uno verbo totius fere Europæ pars Borealis insignem inde passa sit calamitatem, publicis nouellis id abunde testantibus, imo Stettini adeo terribili modo fureret, qui omnibus ipsius terræ motus suspicionem incusit. Si relationibus priuatim ad nos peruentis fides adhibenda, tam rari his orisphaenomeni, terræ scilicet Motus vel Tremoris circa Trebnicum, furente tempestate, non obscura obseruata fuisse vestigia. Cuius tamen relationis ulteriore optamus confirmationem. Natatu deinde dignum est, ut id in parenthesi quasi adferamus, quod part. 47. anno 1737. der

Bresz

Breslauer Zeitungen, ex Neapolitano, Siculoque regno scribebatur, ibidem scilicet nocte intra 24. & 25. Ianuarii diem media, Aetnam & Vesuuium horribili & multis abhinc annis non viso modo, flamas euomuisse, terramque aliquoties vehementer motam fuisse. Vides igitur LECTOR, Elementa omnia, AQVAM nempe INVNDATIONIBVS, TER-RAM STERILITATE, IGNEM FLAMMIS, AEREM denique TEMPESTATIBVS hoc anno inimica Silesiæ redditæ fuisse, non sine summi Numinis consilio, patris ad instar diu frustra monentis proteruos Silesiæ, suosque fibi inobedientes filios punientis, coercentis, atque eos pœnis diu promeritis trahentis, ad placandam seria pœnitentia diuinam iram.

OBSERVATIO VI.

JOHANNIS GOTTLLOB BERG-MANNI

Chirurgi Reichenbacensis

Abscessus in Capite post Quartanam.

PUellæ duodecenni phlegmatico humorum temperamento præditæ post Febrem quartanam, qua cum 1732. per octo septimanas conflicitauit, magnus sua sponte in vertice capitis natus est Tumor, in cuius apice post quatuor decem dies aliud eleuabatur tuberculum, quia propter cutis in hac regione

Cras-

crassitatem, remediorumque conuenientium neglectum, pus collectum exitum sibi parare non potuit. Adiuvatus statim vnguentum aliquod digestuum imposui, & duabus praetergressis diebus abscessum ampia incisione commodo loco facta aperui. Magnam puris vim prima vice quidem effluere sinebam, omnem tamen atque simultaneam euacuationem studio impediabam, ne patiens forte syncope corriperetur, aut motibus febrilibus in posterum facile tentaretur. Quamuis itaque tam circumspete me gererem, & successiue tantum materiam purulentam vlcus moderante premendo euacuare tentarem, motus tamen febriles, quibus leuiores conuulsiones sese sociabant, praecauere non potui, qui vero pulueribus ex absorbentibus, temperantibus, anterogaisticis & mixtura ex Tinctura refrigerante(*) & mixtura simplice fine camphora parata non difficulter obediebant. Vulneri plu-maceolum decocto, ex Hb. Scord. Aristoloch. rot. Gum. Myrrh. vino parato, madidum imposui, quia pericranium digestiu ferre non solet, externe decoctum ex speciebus Cephalicis itidem vino paratum & spiritu Vini camphorato, atque Essentia Castorei maritatum calide applicabam, optimo cum successu, nec

(*) Tinctura refrigerans præparari solet ex flor. Tunnic. Bellid. rubr. Papau. errat. cum aqua destilla-ta Cerasorum nigr. addita Spiritus Vitrioli pauca quantitate.

nec Balsamicis demum adhibitis ex Oleo Myrræ per. deliq. Essent. Myrrh. Succin. Melle rosato compositis curæ finis imponeretur. Paulo vero antea, quam vulnus in totum consolidatum esset, patiens satis vehementes experta est febriles motus, superueniente Erysipelate vesiculoso, pueribus tamen ex Conchis citratis, Antimon. diaph. Tartar. vitriol. Nitro depur. morem grerere non renuentes, & agram demum sanitati restitutam relinquentes.

SCHOLION.

Febrium etiam intermittentiū aut diuturnarum per Abscessū solutionem, iam antiquissimis Medicis non incognitam fuisse ex HIPPOCRATIS IV. Aphor. XLIV. colligitur, vt recentiorum exempla hinc & inde ab observationum scriptoribus memoriae commendata taceamus. Aetas interea puellæ attentionem quandam meretur, ita ut credamus virgunculam illam, tali abscessu forte non tentatam fuisse, si menstruum vectigal aliquoties iam soluisset, quia vero eius adhuc erat ætatis, cui parotides familiare sunt morbi genus, & per eas febres haud raro solui solent, ratio facile patet, quid naturæ congestionibus versus caput adhuc adsuetæ occasionem dedit, vt noxiorum humorum versus superiora metastasis dirigeret, & per consequens abscessum potius in capite quam alio quodam loco,

co, excitaret. Quas vero Noster in curatione adhibuit encheirises, eius sunt conditionis, vt quilibet eas in parallelo casu tuto sequi possit, aut imitari. Nobis deinde præ reliquis notabile videtur Erysipelas vesiculosum, vulnere ferme consolidato, ægram vexans. Quum enim tumor primum negligeretur, & pus in eo iam collectum exitum non inueniret. sanguini circulationis necessitate, iterum admixtum totam humorum massam fermenti ad instar inquinavit, vt natura coacta demum esset, vulnere maximam partem clauso, quod haec tenus in corpore phlegmatico fonticuli ad instar humores & superfluos & corruptos eliminavit, se se ab onere molesto uno impetu liberare, excretione scilicet instituta, non procul ab eo loco, vbi iam sueta fuit lympham mucidam, impuram, impellere depone, & comnode eliminare. Febrem, post breui curatum abscessum etiam notauit RIEDLINVS *Cur. Med.* 892. recensitæ non adeò ab similem. Iam præter consecutaria quædam ex præsente casu sponte sua fluentia nihil quod monendum esset restare videtur, quare eadem subiungamus. I. Abscessus, qui febribus diutinis superueniunt, & extremas corporis partes occupant, boni. II. Abscessus febribus superuenientes non negligendi, sed tam, pure probe cocto, aperiendi. III. Abscessus diu absque apertione gestati, & quidem maturi, reliquos corporis humores peregrin.

grinis partibus inquinant. IV. Phlegmatica corpora ad abscessus febres soluentes præ reliquis videntur apta. V. Abscessus in phlegmaticis corporibus facile naturam ad consuetudinem noxios & superfluos humores per eos quasi fonticulos excernendi disponunt. VI. Abscessus igitur in phlegmaticis febres soluentes adcuratam requirunt curandi methodum, non per externa solum claudentem vulnus, sed per interna etiam humores impuros aliis excretoriis expellentem. VII. Phlegmaticis critico abscessu iusto citius clauso facile superuenit febris. VIII. Abscessu iam in consuetudinem degenerato, & sanationi proximo, vel actu clauso, facile febris oritur, etiam in corporibus non adeo phlegmaticis. IX. Si post apertum abscessum nimia quantitas materiae purulenta vna vice evacuatur, aut exprimitur, facile sequuntur motus febriles, imo & conuulsiui.

COLLECTORES.

OBSERVATIO VII.

D. CHRISTOPHORI TIMOTHEI

BURGHARTI

Physici Reichenbacensis.

Rariores quedam Hemorrhagie.

Molitoris cuiusdam vxor filiam feliciter peperit, sanam, & vegetam, quæ tamen post aliquot dies se male habere incipiebat,

Spec. III.

D

- bat,

bat, & vt coniicere licuit, ingentibus abdominis doloribus vexari videbatur. Paucis interiectis diebus, remedii omnibus, quæ proficia iudicabantur, in cassum adhibitis, per vuluam sanguis satis copiose stillabat quietius sese gerente puella. Ipsum vero cruris filicidium, per integros nouem dies, LOCHIORM ad instar continuauit, suaque sponte demum cessando, puellam, doloribus infimi ventris euanescentibus, raro hoc fluxu liberaruit. Viuit etiam hucusque octauum agens mensem, sed corpusculum circumgerit emaciatum, viribus destitutum, & quasi atrophicum, pallido tinctum colore. Aliam vidi puellam septennem, post prægressos capitis, dorsi, & abdominis dolores lancinantes, menstruatam factam, hocque TRIBVTVM per aliquot lunæ recurrentis periodos soluentem. Quæ tamen extraordinaria menstrua, larganarium hæmorrhagia deinde superueniente, fluere postea desinebant, puella sana, vegetaque relicta. Puer quidam nonum agens annum, alias hucusque sanus, neque narium hæmorrhagiis obnoxius, neque per omnem vitæ cursum crusta lactea, aut alia eiusmodi cutanea excretione unquam tentatus, ex improuiso per inferius guttur, magnam sanguinis floridi quantitatem, inter desidendum, per aliquot dies iteratis vicibus reiecit. Mater paupercula hoc phænomeno perterrita, idque non hæmorrhoidalem fluxum sed Dysenteriam

teriam sanguineam reputans, variis adfectui mederi studet praefidiis domesticis, eumque ex voto quidem, sed infausto successu, supprimit. Excepit enim statim suppressum fluxum, partium circumiacentium inflammatio, & deinde haemorrhoidalium venarum suppuration, cui etiam remediis, quæ ipsi e re esse videbantur, obuiam ire tentat, vlcusque post aliquod temporis spatium claudit. Hoc facto, natura in moliminiibus suis perturbata, nouam molitur fabulam, humores nempe expulsioni destinatos versus dextrum genu impellendo, atque circa poplitem varios abscessus & foeda vlcera excitando, quæ moleste officiosa parens iterum cicatrice obduxit. Quum vero nec ita naturæ intentioni satisfactum esset, iterum ad haemorrhoides reuertebatur, eosque aliquoties, satis adcurate menstrua periodo obseruata, aperuit. Si vero consueto tempore non statim prorumpunt, mox vel circa poplitem, vel in facie tumores surgunt, accedente inflammatione, pus fundentes, corpore autem toto emaciato, & quasi atrophicò, coloris pallidi, viribus destituto, crure retrosum tracto & ad extensionem incepto, post se relicto, ita ut certo persuasus sim, alium malorum hactenus passorum non futurum finem, nisi mortem.

SCHOLION.

Fœtum alio fœtu grauidum aliquoties obseruarunt diligentiores Medici, vid. FRANC-

D 2

CKE.

CKENAV *Sat. Med. IV.* pag. 77. GASP. a RE-
IES *Camp. Elys. quæſt. XXXVI.* n. 28. pag. 434.
imo & puellas vix natas etiam matres factas,
& exinde LOCHIORVM fluxum consueto mo-
re passas, interdum dari, illustribus, licet ad-
modum raris exemplis probarunt; Puellam
vero in lucem recens editam, vteri purgamen-
ta sine prægresso partu, simul cum matre puer-
pera redditem, in autoribus, quos satis co-
piosos huius rei gratia euoluere licuit, nul-
lam inuenire potuimus, Mensium e contrario
præcocium exempla ubique fere apud praeti-
cos & obſeruatores occurruunt, vt legi potest
in Excell. ALBERTI *Tentam. Lex. real. Med.*
part. I. voce: Menses pag. 272., vt coaceruandis
parallelis casibus facile queamus supersedere.
Tertius autem ab exercitatissimo Dn. AVTO-
RE casus communicatus maiore profecto at-
tentione dignus est, haud parum enim nego-
tium hæmorrhagicum illustrat, magnoque v-
sui est medicis aliisque, spontaneas omnes hæ-
morrhagias pro mere passiuis, ideoque noxiis
habentibus de suæ sententiæ periculosa falsi-
tate conuincendis. Diffiteri non possumus,
naturam, cui Plethora imminutio curæ cor-
dique fuit, non in ipsa excretione eiusque in-
stitutione, sed tantum in loco aberrasse. Quum
autem internarum partium viui corporis non
detur inspectio, earumque exinde lateat vera
constitutio, causa etiam ignoratur, quæ natu-
ram ad hunc errorem errandum inuitauerit.

Si

Si coniecturæ locus est, aliam adçusare forte non possumus, quam superiorum tubulorum nimiam stricturam, & inferiorum, in abdomine præsertim, laxitatem, & inde imminutum renisum ad resistentiam sanguini impulso præstandam imparem, quare facilis erat per vasa hæmorrhoidalia superflui cœoris corpus grauantis expulsio. Hæmorrhoidum præterea in pueris exempla legi possunt in *Ephem. NAT. CVRIOSOR. Dec. I. Ao. VIII. Obs. 22. Ao. X. Obs. 178. Decad. II. Ao. IX. Obs. 124.* FRANCKENAV *Satyr. XXI. pag. 450. Add. ALBERTI Tent. Lex. Med. part. I. voc. Hæmorrhoides pag. 194. Part. II. voc. ead. pag. 485.* Si ergo mater in affectui medendo non maiorem commisisset errorem, quam natura in excitando, puer certe in mala adeo rebellia, & in habitum iam degenerata, & ideo forsitan incurabilia redditæ præcipitatus non fuisset. Accedit quod, quum res sit admodum angusta domi, & mater mediis destituta ad curam tam difficultem necessariis, motuum confusio diuturnior, & pertinax, ad excretionis locum huic ætati parum familiarem, sanguinis directionem, omnem fere restitutionis spem frustrari videantur. Quæ autem ex præsenti casu fluunt consecaria, sunt: I. Hæmorrhoides in puerili ætate fluentes, aberratio naturæ omnino dici merentur. II. Non tamen adstringentibus fluxus retineri, sed natura ad aliam puerili ætati conuenientiorem hæmorrhagiam disponit.

ni debet. III. Pueris plethoricis, quibus narium hæmorrhagia non succedit, hæmorrhoides, cæteris paribus interdum superueniunt. IV. Attente considerandæ sunt circumstantiæ in pueris sickerum sanguinem per inferius guttur euomentibus, ne talis fluxus pro Diarrhoea sanguinea habeatur, & peruersæ trætetur, aut infausto conatu iusto citius supprimatur. V. Suppressis per sinistram medendi methodum puerorum hæmorrhoidibus, inuitato iam ad inferiorem corporis regionem sanguinis impulsu, humorum stases, partium inflammations, & suppurationes facile oriuntur. VI. Clausis ulceribus post præmaturas hæmorrhoides ortis, tendinum sequuntur rigores. VII. Venæ sectio in brachio, sanguinis impulsu versus caput inuitans, & naturam, ad narium cruentum strilicidium, tanquam hæmorrhagiam puerilibus annis conuenientem, disponens, vtilius & conuenientius, non obstante tenera ætate, nobis esse videtur remedium in puerorum hæmorrhoidibus, quam methodus adstrictoria. VIII. Si vñquam alicuius usus est HIPPOCRATIS effatum: *nihil videlicet faciendum temere, nihil inconsiderate, profecto in puerorum hæmorrhoidibus, & omnibus extraordinariis hæmorrhagiis actiuis sedulo obseruandum.* COLLECTORES.

OBSER-

OBSERVATIO VIII.

D. GOTHOFREDI HENRICI BVRGHARTI

Medici Wratislauiensis.

Succinum Silesiacum.

§. I.

SVCCINUM non Prussiæ tantum est peculum, sed & in aliis, quamvis raro, reperiri solet locis; ita v. gr. in *Marchia Brandenburgensi* circa *Potsdamium*. *Ephem. NAT. CVRIOSOR. Dec. I. Ao, IX. & X. Obs. LXXXVIII. pag. 123.* In *Saxonia* circa *Wutebergam* ibid. *Obs. XXXVI. pag. 102.* In vicino *Bohemie* regno; *BOHVSL. BALBINVS Miscell. Dec. I. lib. I. cap. 50. pag. 115.* In *Moravia*; *HERTOD Tartaro magist. Morau. Part. I. cap. V. pag. 30.* aliquoties inuentum est, vt Montis *Apenini Italicum*, *KVNDMANN promtuar. pag. 293.* & *Indicum*; *RVMPH Amboinisch. Raritat. Kam. lib. III. cap. LXXXVII. pag. 340.* taceamus.

§. II.

Fertile *SILESIAE* solum & *Succino* fœcundum esse, diu iam testati sunt naturalium rerum curiosi, inter quos superioris sæculi *Medicu*m *SCHWENCKFELDIVM*, quem si patræ nostræ *PLINIVM* dixeris, forte non errares, præ cæteris nominari meretur, qui in *Catalog. fossiliu*m, *bistoria stirp. Siles.* addito pag. 394. scribit: *SVCCINVM AVREVM FOSSILE*

a Prutenico nec colore , nec odore , nec perspicuitate differt sub arce GREIFFENSTEIN ad Pagum RABSAV eruitur. Aliud ex Ducatu IAVRANO ab Excell. KVNDMANNO promptuar. pag. 75. adducitur. Mons HINTZELBERG non procul ab vrbe OTMACHAV aliam succini speciem exhibet . quod externe cortice coloris cinamomi ad instar fuscii tectum , interne vero politum cornu refert. Bresl. Sammlungen 1718. Mens. Decemb. Clasf. IV. Art. V. §. 9. pag 1977. cui addi meretur Succinum , in MONTE VENERIS prope pagum RIEMBERG , quarto ab vrbe nostra lapide , vt & in HEIDEWILXEN ducatus Olsnensis vico aliquoties inuentum. Bresl. Samml. 1718. Mens. Ian. Clasf. IV. Art. IX. §. 1. pag. 1234.

§. III.

His præfatis , aliud Succini frustum , duarum & quod excurrit vnciarum , curiosis exhibemus , nobis a Generoso & maxime strenuo Dno. de LINDEINER , viro nobili , docto , & physicarum rerum amatore , monstratum , & ante paucos annos in syrte quadam a VIADRI alluuie , prope GOLSCHWITZ Ducatus Oppoliensis pagum nouiter facta (in einer von der Oder neu gemachten Sandbank) casu inuentum , & primo ab inuentore rustico pro Pyrite (vor einen Feuerstein) habitum. Extero cortice exacte cinamomi colorem referente tegitur , interne vero partim est coloris aurei pellucidi , partim , vt solet , maculis , striis.

striisque magis albicantibus, & non omni parte diaphanis distinguitur. Prunis impositum suauissimum spirat odorem.

§. IV.

Quum vero laudatus Generosus Dominus ex me quereret, quid mihi circa natales huius succini videretur? respondebam: Meam esse sententiam, quod forte deberet originem Morauiae. Ibi enim adesse & frequenter inueniri succinum supra (§. I.) adductum HER-TODIVM testari, ut adeo vero sit simile, vel VIADRVM, cuius fontes Morauiae vindicare quidam vellent, vel alium ex DEMERSIO-RIO, aut Morauicorum montium iugo oriundum fluuum, rapidarum vndarum impulsu, succini subterranei mineram detexisse, idque frustum secum abduxisse, & viadri aquis alueoque intulisse, ex quibus deinceps per arenam iterum fuisse præcipitatum. Quia vero hucusque veritati magis consentaneam non scio, hanc opinionem adhuc meam esse fateor, donec forsitan sequentia tempora, mutationi eiusdem occasionem præbeant. In genere vero succinum habeo, pro Petroleo per acidi cuiusdam salis coniugium coagulato, & successu temporis indurato, partibus videlicet fluidioribus & magis volatilibus euaporatis. Hæc, succini analysis chemica, & animalcula, aliaque peregrina corpora ipsi haud raro impacta, satis superque demonstrant.

D 5

Man-

Mantissa

ad Spec. III. Satyr. Med. Sil.

Num. I.

GODOFREDI LANGHANS,
Schol. A. C. Landeshuttanæ Con-Rect.
Meritissimi,

DE RANIS CAUDATIS

Exercitatio.

§. I.

Industriis rerum naturalium scrutatoribus non nisi gratissimum accidere potuit, quod saltem cordatiorum existimauerit nemo, *caudatas* præter consuetudinem *ranas* Schmidebergæ Silesiorum, anno Millesimo Septingentesimo supra trigesimum quinto, in piscina quadam magna copia visas, portenti aliiquid fecum tulisse. Licet enim in montanis istis regionibus, omnino rarissime offendantur, obque id ipsum potissimum oculos & animum spectatorum in se traxerint: tamen portentosæ nullatenus fuerunt, sed ita a natura comparatae, ut quid eam ad hanc a consueto tramite suscepptam declinationem impulerit, imo impellat sacerpius, verosimillima ratione possit demonstrari.

§. II.

Nimirum præter cognitam nobis palustrium ranarum corporis speciem, instructæ sunt ex pleno dorso seu corpore protensa, longa, carnosa

OBS: II.



OBS. II.



Tab. III. Spec. III. Satyr. Med.

Specim. V. Sat. Obs. VI.

Fig. III.



Fig. I.



Mantis Num. I.

Fig. II.



nosa, & spina continua erecta, imo pinna insuper ornata cauda. Sub quo loco corpori adhæret, cluniculi prominent more solito. Sicut & anteriores pedes adsunt, nisi quod in quibusdam defuerint, in quibusdam non tam crassæ nec tam longæ apparuerint. Quemadmodum etiam, ut verum fateamur, ipsum corpus, certe earum, quæ ad visum nostrum peruenierunt, ad eam magnitudinem nondum excreuerat, quæ alias ranarum perfectarum esse consueuit. Quanquam postea obseruatum est, magis auctam fuisse corporis staturam, quo magis versus finem vergeret autumnus & caudam tam grandem extitisse, vi dubius hæsis, vtrum ranas caudatas, an vero pisces quadrupedes eas vocitares.

§. III.

Quod si ergo ex nobis, de isto tam insolito ranarum prouentu, quid sentiamus quæsieris? ante omnia id probe notandum esse existimamus, ranas ex ouulis conglobatis, continuo filo cohærentibus, & perspicuo humore, gelatinam fere referente, constantibus nasci. Quæ a femina emissâ ineunte vere piscinarum, aut fluviorum in crepidinibus solis radiis exposita, ita excluduntur, ut granum nigrum seu principium animale raninum, quod continent, vitalem spiritum concipiatur, vegetetur, distinguitur membris, & emissis meatibus nutrimentum & augescendi materiam petat ex circumfluentे humore. Sed non statim emergunt omnia mem-

membra perfecta. Nam cum formatum caput est, atque oculi, in globoso corpusculo prorumpit ex humore suo foetus, qui γέγνος appellatur, tenerima atque pellucida cornea circum circa clausus, cauda, itemque pinnulis quibusdam circa caput agitabilis, & in aqua ludens a vere primo ad medium Junii mensis. Ex quo tempore sub cauda posteriores pri-
mum, mox etiam anteriores enascuntur pedes. Quo facto cauda pedetentim marcescit, & contrahitur: donec plane euanescat, & stigma vix animaduertendum relinquat: dum interea cor-
pus globosum alias gerini, in longiorem aliquanto, exiliorem quidem, sed solidiorem for-
mam excrescit, adeo, ut ranulae illae, quae tum aqua exeunt, & saepe nobis post imbreem per viarum puluerem obuiam feruntur, caudatae non amplius apparent.

S. IV.

ARISTOTELES (a) cum de piscium caudis sermonem facit, scribit: Naturam quidem eas finxisse ipsis piscium corporibus minores: at-
tamen in ranarum caudis carnibus id compen-
sasse, quod corporibus ademerit. Verum cum non dicat, ranas fluviatiles caudas trahere so-
lere, id de rana piscatrice intelligendum esse
puto, quae, prout GESNERVS, ALDROVAN-
DVS, itemque & CHARLETONIVS eam de-
scribunt, tantum non quanta quanta est, cauda
existit. PLINIVS præter illud figmentum,
quod ex luto gignantur ranæ, nihil attulit, quod
huc

huc faciat. GESNERVS (b) ex ALBERTO
 adnotat, ranas finito Maio mense pedibus in-
 strui cauda abiecta. Addit ex sententia A-
 GRICOLAE, ranis anteriores pedes expectore,
 posteriores ex caudæ fissione oriri, quod ipsis
 nostris redarguitur, quamquam & alioquin
 fidem non meretur. De mustelis (c) narrat:
 cum ranis coire solere: cui tamen sententia quo-
 que contradicit, ENZELIVM reprehendens
 quod imponentibus sibi piscatoribus nimi-
 um crediderit. FRANZIVS ab ARISTO-
 TELE & PLINIO ne latum quidem vnguem
 discedit, nisi quod ex AELIANO afferat, eum
 in via Puteolos inter & Neapolim, raninum ca-
 put offendisse, ex luto prominens, ranam ex lu-
 to iri progeneratam indicans, cetera tamen ad-
 huc lutum. (d) Sed ad eandem sententiam non
 accedit. Contra innuere videtur, pluia de-
 cidere posse ranas. Porro etiam (e) cum
 GESNERO affirmat mustelarum cum ranis coi-
 tum, argumento nixus, quod in mustelarum
 visceribus pedum raninorum vestigia appa-
 rent. Cui ex eodem GESNERO contradicit
 in continuatione historiæ animalium CYPRIA-
 NVS. (f) stomachi appendices id vocans, quod
 alii pro pedibus seu pedum digitis raninis ven-
 ditarunt. Nec veteri Saxonum proverbio:
 Es ward ein Quappno nie so güt, sie hefft in
 sich ein Patten füth, vt id crederet, induci se
 passus est. Pari ratione hunc coitum impu-
 gnat SCHWENCKFELDIVS, (g) quippe quem

ab

ab experientia destitui adfirmat. Ita quoque CYPRIANVS iis accedere non vult, qui ranas pluuiia in terram proiici, aut ex luto nasci adferunt, de vtroque prouocans ad FRANCIS-CVM RÉDIVM. (h) Generationis ex gerino processum summatim recenset SCHWENCK-FELDIVS (i) addens præter alia suo tempore sub cauda prodire pedes: quomodo vero cauda abiiciatur, aut quem patiatur casum, id silentio præterit. Tandem in opere illo biblico, cuius director celeberrimus rerum naturalium scrutator SCHEVCHZERVS existit, generatio ranarum successiva, ranis ægyptiacis occasionem præbentibus, in margine iconismi istius, ut puto ex SCHWAMMERDAMIO sat eleganter depicta est. (k) Quanquam si quis ipse successuæ huic generationi sollicita contemplatione adesse voluerit, animaduertet, credo, momenta quædam, quæ hic non exhibentur. Inficias eundum non est, numeros vndecimum & duodecimum ranis nostris apprime similes esse; Sicut & nostrarum nonnullæ fuerunt repertæ, quæ anteriores pedes nondum protenderant. Cum vero a duodecimo, ad tertium atque decimum numerum, quo rana omnibus membris absoluta adparet, ingens intercedat saltus, quo vno quasi impetu rana maximam corporis sui partem, nescio qua ratione, amittere cogitur, sane, ranas caudam ad tantam magnitudinem prouectam, vt vndecimo numero videre est, adhuc alere, numero duodecimo ab.

abiicere, id quidem est, cui ægre fidem adhibere possumus, præcipue quod generatio mensis vnius spatio absolui dicitur.

- (a) *Histor. animal. Lib. IV. cap. 13.* (b) *De quadruped. ouipar.* (c) *De aquatilib. Lib. III. pag. 711.* (d) *Hist. animal. pag. 148. 149.* (e) *Lib. cit. p. 136.* (f) *Lib. cit. p. 2160.* GESNERVS *Loc. cit. pag. 712.* (g) *De pis- cibus Silesie pag. 439.* (h) *Lib. cit. pag. 776.* REDI de Generatione insectorum pag. 75. & 209. (i) *De re- ptilib. Siles. pag. 131.* (k) *Tab. CXXV.*

§. V.

Quæ igitur omnia de ranis ex aliorum sententiis in medium allata, si ad nostras applicare mens est, quæstiones quæ sequuntur formari non incongrue posse putamus.

- I. Vtrum inter reptilia, aut natatilia talis quædam singularis species existat?
- II. Vtrum istiusmodi ranæ ex luto potuerint procreari?
- III. Vtrum desuper depluerint?
- IV. Vtrum ex coitu mustelarum aquatica- rum cum ranis prouenerint?
- V. Vtrum verosimili ratione exponi possit, cur natura in formatione insoliti huius a via ordinaria nunc quidem declinauerit, eiusmodi ranarum fœtum producendo, qui cum pedibus caudam simul enutriuerit?

§. VI.

Ad primam quidem quod attinet sententiam, non omnino satis prouide agere videtur, qui talem speciem singularem ordinaria ratione exi-

existere posse plane voluerit negare, cum nos omnium rerum a DEO TER OPTIMO MAXIMO conditarum numerum, naturam, generandi modum, mutationes, & quæ sunt reliqua, quæ iisdem accidere solent, penitus perlustrasse, atque cognouisse, haud possimus gloriarri. Verum, cum diligentissimi rerum naturalium inuestigatores tale aliquid se reperisse memoræ non prodiderint, in fluuiatilium præsertim hac specie, quæ vbique locorum deprehenditur, & cuius cognita est, missam eam sententiam faciamus, donec vltior perscrutatio nos ea de re faciat certiores. Cumque ea dimittimus merito quoque, secundam & tertiam, vtpote omni fundamento destitutas. Imo quandoquidem quarta non nititur nisi in falso deprehensis in mustelarum visceribus pedibus raninis, & in piscatoris cuiusdam relatione, qui mustelam atque ranam labiis quasi hymali tempore cohærentes vult vidisse, iste coitus merum est figmentum: multoque magis credendum, si natura vtriusque ad eundem coitum proclivis, imo quod maius, eiusdem patiens est, sane multo frequentius accidere debere, iis præsertim in locis, quæ vtraque horum fluuiatilium specie abundant.

§. VII.

Ad quintam vero, quoniam eandem affirmare audemus, corroborandam facit: primo, vt tanquam indubitatum ponamus: ranas fluuiatiles omnes, quamdiu gerini sunt, caudis gaudere.

dere. Deinde, quod, si natura ordine procedit, statuto temporis spatio, eas amittant, cui GESNERVS ex ALBERTO Maium mensem, SCHEVCHZERVS finem mensis exclusionis, nos in montanis nostris regionibus medium Junii definimus. Hic duo annotanda veniunt. Primum, gerinos istos caudis his quam maxime indigere, quoniam globosa corporum figura absque pedibus, qui tum latent, nec se loco mouere, adeoque nec alimenta querere, nec etiam periculis effugere possit, nisi id caudæ beneficio fiat. Alterum est. Quod si caudam absque detrimento corporis amittere possunt, sequi, ut pars integrum corpus absoluens non sit, sed modo a natura in temporarium aliquem vsum data, quæ tanquam superfluum quid, cum nutritores succi, ad nobiliores partes deriuandi sunt, derelinquitur, contrahitur, & paulo post plane disparet, id quod naturæ solenne est facere in hominibus ipsis, æque ac in reliquis animantibus. Quam etiam veram amissionis caudæ rationem esse existimamus, ut adeo prorsus superuacaneum sit, cum AGRICOLA aliquam caudæ in pedes fissionem finire.

§. VIII.

Putamus ergo nostras quoque ranas solita ratione ex ranarum spermate esse oriundas. Et licet naturalis caudæ, ex allatis rationibus, amissio iusto tempore debuisset accidere: possibile tamen est, imo vero factum esse hic re-

Spec. III.

E

ipsa,

ipsa, & fieri posse persæpe aliis etiam in locis, arbitramur, vt ex succi nutrientis & vegetantis abundantia & vasorum ad caudam cum sanguine lympham ducentium bonitate, atque magnitudine, quæ omnia fundamentum suum in ranæ, a qua sperma istud fuit emissum, præstantia corporis totius, integritate & fœcunditate habere possunt, vt inquam, cauda iuxta cum pedibus afferuari, atque enutrirri potuerit. Quæ citra solitum facta lymphæ deriuatio eo aperi- tius proditur, quod pedes consueto teneriores imo integrum corpus propter caudam gracilis apparet, cum illa interim carnosa satis, & prægrandis existit. Porro non prætereundum esse existimamus, lautum in piscina alimentum, & aëris circa tempus exclusionis commodam temperiem. Quibus & illud addimus, quod cum in montibus nostris, quæ gignuntur serius aliquanto prodeunt, & aëris rigore quasi retin- nentur, postmodum tamen conspirante forte cœlo eo fortius prorumpunt. Quod dum fit, tanto facilius aberratio aliqua in lymphæ distributione accidere potest. Quarum proba- bilium causarum quælibet suum si contulerit, nihil verosimilius esse existimamus, quam ut eiusmodi ranæ caudatæ producerentur. Nec ingratum foret addere, nos, cum superiori ve- re successiua ranarum generationem aliquan- to curatius obseruaremus, animaduertisse, ge- rinos in aliis alimentis capiendis fuisse admo- dum auidos, præcipue in lacticiniis & carni- bus

bus leporinis, & iis eo usque intestina infarisse, vt tantum non rumperentur, & excrementa continuo quasi filo propenderent: imo notabile exinde corporis incrementum cepisse. Aliis vero alimentis, imo alio tempore non item. Ex quo factum est, vt nobis persuaderemus, si liquere potuisset, quid illorum palato imo potius naturæ quoquis tempore conduceret, nos gerinos istos ad eandem corporis magnitudinem solo alimentorum beneficio perducturos fuisse, qua conspicui fuerunt Schmidebergenses.

§. IX.

Si quis generationis ordini, vt a celeberrimo SCHEVCHZERO exhibetur, pertinaciter insisteret voluerit, aut non visis, aut insuper habitis quæ de ranis nostris produntur, facile in eam perduci se patienter sententiam, ranas istas tunc quidem, cum caperentur in eodem μεταμορφώσεως gradu stetisse, quem numerus vnde-cimus, & duodecimus iconismi supra (§. IV.) citati designat. At vero qui perpendere voluerit, captas esse Augusto mense, & medio quidem, ranas extitisse grandes, formæ solitæ proximas, reliqua perfectas, quid quod dura, inque caudam ex dorso protensa spina instruitas, tam facile credo ad obiiciendum non affurget. Quapropter easdem iconæ adiecta (Tab. III.) vera magnitudine delineandas cœtrauimus. Quam ipsam quoque spinam argumento esse putamus perspicuo, caudam emarcescere.

cescere tunc amplius non potuisse, cum illud, quod caudam dirigeret, cum essent gerini non solum non labefieret, sed ad spinalem potius rigorem excrescens, efficeret, ut vicina vasa lymphatica illabefactata porreptione conseruata, succum nutrientem, eo audius imbiberent, & caudæ alendæ atque conseruandæ proximam præberent occasionem. Quare nec possibile ducimus, vt cauda in eandem magnitudinem ordinaria ratione excrescat, prout citato loco vndeclimo numero exhibetur, quoniam tunc omnino maneret, nostroque similis ranarum fœtus proueniret. Taceo possibile etiam non esse vt intra mensis vnius spatium tantum incrementum capere possit.

§. X.

Denique argumentanti: Stante hac explicatione ex allatis argumentis eiusmodi ranas aliis quoque locis posse progenerari; tantum abest, vt refragari velimus, vt potius libentes profiteamur, eas sæpenumero in paludosis præcipue regionibus extitisse & extare; quamquam aut non debita attentione fuerint consideratæ, aut prout genio placuerit, pro stellionibus, aliae venatorum insectorum specie fuerint habitæ, quam exhorrescere maluerint, quam sollicitæ perscrutatiōni subiicere rerum naturalium incurii spectatores. Et si narrationibus vulgi aliqua fides adhibenda, relatum nobis meminimus, in illa ipsa piscina centum abhinc annos eundem fœtum raninum visum,

&

& hoc ipso anno multis in locis præcipue paludosis apparuisse. Si præterea coniecturis locus est, eas hac in re confirmari putamus eo, quod in Ephemeridibus Naturæ Curiosorum relatum & obseruatum legimus a LENTILIO.

(I) Aut enim nostra ranarum monstra, & illa Surinamicæ in pisces transformatæ ranæ, plane non ad eandem familiam pertinent, quod ob tanto dissita interuallo cœli climata credibilius est; Aut illæ Sebæ a LENTILIO ostensæ species similem naturæ declinationem matrem agnoscunt, quam nostræ, siue Surinamenses sint, siue quocunque terrarum angulo productæ, & iudicium de iis, quod integrum & omnibus membris absolutam ranam fundamenti loco ponit, latum est inuerso ordine. Quod eo facilius accidere potuit ob id, quod in vini spiritu asseruata corpora, vt communiter fit, contrahuntur, & formam vehementer immutant. id quod & nostris, quas asseruauimus, ranis accidisse, animaduertimus, nimirum pedes extenuatos esse, imo integrum corpus emarcuisse, vt præconcepta opinione, dari talem ranarum aut piscium singularem speciem, quæ ex rana in pescem, aut contra transfret, intuentibus facile caput referre possit videri: cum tamen, si a cauda discesseris, cum viuerent a rana plane non different, membris omnibus absolutissimæ, posterioribus, vt ranæ solent insidentes pedibus prioribus innixæ, & cauda tunc ad dextram vel ad sinistram composita. Non ergo

ergo est quod vereamur, ne in pisces forte mutantur ranulae nostræ. Quod tamen si acciderit, nulli dubitabimus sententiam mutare simul nostram: Cetera spem alentes certissimam, fore, ut apud historiæ naturalis amatores aliquam saltem inituri simus gratiam, quod non adeo frequens istud naturæ miraculum adnotare, & paucis explicare non fuerimus dignati.

(1) *Centur. IV. pag 368.*

SCHOLION.

Licet Celeb. AVTORIS amice nobis communicata, de ranis caudatis Silesiacis exercitatio, omnibus numeris absoluta, vlo non egeat, multo minus nostro Scholio; in lectorum tamen gratiam, quid, vnum vel alterum hac de re autorem consulentibus, nobis innotuit addere non iniucundum putamus. Ranarum anatomen adcuratam curiosis exhibet JACOBÆVS tractatu *de Ranis*, cui, quod ad diuersas huius, vilis quidem, multa tamen habentis, quæ curiosum fatigent, animalculi partes attinet, iungendi CASP. BARTHOLINV^S fil. MALPIGHIVS, BORRICHIVS, HARVEIVS, SWAMMERDAM, MEEDHAM & COITER quorum obseruationes omnes GERARD. BLASIVS, in splendido *de Animalium Anatome* opere, Amstelodam 1681. cum fig. chart. augusta, in quarta forma excuso part. III. cap. XXIV. pag. 290. seqq. coniunctim dedit, inter quas CASP. BARTH-

THO-

THOLINI pag. 295. præ ceteris huc pertinens, in ranarumque genesin inquirens legi mereatur, additaque tabula LV. fig. II, *Gerimum quatuor pedibus, caudaque prælonga instructum*, & ideo figura fere lacertam mentientem, Fig. 12. vero, eundem cauda sensim angustiori facta, totoque corpore a membranæ suæ inuolucris liberato, exhibit. Caudatas porro ranas nec Silesiæ, nec aliis locis incognitas esse sequentibus didicimus testimoniis. Primum Wratislavia nostra subministrat, vbi, vt a viro fide digno accepimus, & quidem in pago GRVNEICH, quarta milliaris parte, post Insulam S. Johannis ad viadri ripas sita, saepius a pescatore inter reliqua piscium genera ex stagnis ibidem paludosis extractæ, sed, quum non adeo rari quid sibi visi sint, neglectæ, multo minus harum rerum curiosioribus monstratae sunt. Secundum a JONSTONO *Histor. natural. Quadruped. lib. IV. Titul. I. cap. I. artic I.* pag. 131. (Edit. Amstelodam 1657. fol.) petitum, Heluetiam hac peculiari ranarum specie (si ita loqui fas est) diuitem adserit, docetque: *In Stockornio Bernensis monte duos esse Lacus, in quibus ranæ magno capite & CAVDA LONGA conspicuntur. Tabula LXXV.* item Ranam terrestrem sive Bufo nem caudatum, depictum sistit, quem tamen a circulatoribus effictum, an sufficienti ratione inquirant alii, dicit. Hæc allegasse sufficiat.

COLLECTORES.

Num. II.

D. CAROLI FRIDERICI
 SCHWERDTNERI
 Medici apud Javorenses Celeberrimi
 Dissertatiuncula epistolaris
 ad
 SATYRAR. MEDICOR. SILESIAC.
 COLLECTORES
 qua
 DE REQVISITIS MEDICI VERE PHILO.
 SOPHI
 paucis agitur.
 VIRI &c.

IN signem sane primo anni hujus (*) mense
 percepit voluptatem, cum ex *Novis Litera-
 riis Silesiacis*, ibidemque inserta *Epistola ve-
 стра invitatoria* intellexerim, quod contra frivo-
 los & petulantes artis Medicæ irrisores tam
 fortes tamque periti exsurgent heroes, qui
 cuncta huic arti nobilissimæ temere adversan-
 tium conamina infringere, saluberrimam do-
 Etринam hinc inde vacillantem firmius stabili-
 re, selectissimis rationibus & experimentis in-
 dies certiorem reddere scite norint. Recte
 asseruistis, imo optime, scientiam nostram Me-
 dicam non esse mere speculatiuam, aut otio-
 sam, sed practicam utique & negotiosam. Vi-
 ro enim honesto indignum plane reique publi-

cx

(*) Intellige 1736. quo exarata præsens epistola.

æ perniciosum sane est axioma, quod GALBA apud SVETONIVM (1) calluisse dicitur, quod scilicet nemo rationem otii sui reddere cogatur. Destruxitis simul falsum illud figmentum: *Artem Medicam Philosophia tantum esse filiam & additamentum;* Licit enim HIPPOCRATES primus separauerit a Philosophia Medicinam. alteram tamen conjungendam cum altera idem περὶ ἐνθυμοσύνης probe monet, adiciens: ίατρός γαρ Φιλόσοφος ισόθεος, *Medicus Philosophus Deo aequalis est.* Talem autem heic loci MEDICVM PHILOSOPHVUM intellexerim, non instructum saltēm inani rerum curiosarum, variorumque inter se discrepantium dogmatum scientia, sed qui vita sit Philosophus i. e. virtutibus præclaris prædictus, & doctrina solidiori imbutus, ita ut non solum ægris, dum habet, medicas adhibere manus, sed & doctas maximeque utiles observationes hinc inde colligere & suo tempore insuccum sanguinemque convertere probe sciat. Ita enim eleganter definit Medicum subtilis SCALIGER, quod esse debeat *Vir doctus, probus, lenis, diligens, maturus, fortunatus, DEO fretus, non sua vel scientia vel opera, vel successu tumidus, aut pecunia deditus.* Pensitemus paulisper, si lubet, qualitates, quas *Atlas iste cœli literarii* (2) a MEDICO VERE PHILOSOPHO exigit.

(1.) In *GALBA cap. IX.* Aliter sentit JVSTINVS præf. s. V. (2.) Ita ipsum appellatum fuisse reperi, imo HEINSIVS vocat Nostrum abyssum eruditio-

nis, mare scientiarum, solem Doctorum, genus Deorum, & maximum naturæ opus.

§. I.

Primo requirit DOCTRINAM s. ERVDITIONEM eamque veram, solidam, & fundamentalem, non curiosam saltem aut superficiariam. Sane si verum fateri fas est, Medicas exercere artes nostris temporibus nullius fere est artis; siquidem plures dantur titulo Doctoris Medicinæ insigniti, qui neque latine scribere, neque morbos distinguere, neque medicamenta scite explorare norunt, sunt saltem Doctores per nummos, & evadunt Praetici ex commentariis (sie werden Stümper, die ihre Kunst nur aus Büchern haben) literas autem que marsupium non sequuntur, sed sudoris comites sunt ac laboris, teste HIERONYMO, plane ignorant; ita ut quod CICERO olim de hominibus in genere pronunciauit, (3) jam nunc de nostro ordine sit sentiendum: Medicorum duo esse genera, alterum indoctum & agreste, alterum expolitum. Hinc tanta astimii olim sat magni jaictura, hinc tot in artem nostram scommata; quænam vero est ratio? Accipe, in promtu causa est; dicit istam HIPPOCRATES, dum dicit: Medicina omnium artium est præclarissima. Verum propter ignorantiam, qui eam excent, & ob vulgi ruditatem, quod tales pro Medicis judicat & habet, jam eo res devenit, ut omnium artium longe vilissima censeatur. O! si nostris degeres temporibus DIVE SENEX, quos eheu! tibi ex-

exprimeret planetus miseranda saeculi nostri calamitas! At cum *Doctrina sola immortalis & diuina sit in rebus nostris*, quemadmodum in libro de liberis educandis PLVTARCHVS scripsit (4) optime agunt amatores eruditionis medicæ, si non solum ab ineunte ætate rudimenta artis assidue ponunt, sed & in Praxi a laboribus non abhorrent, sed laboribus desinentibus in utilitatem, sic enim vere sunt & fiunt Medici præstantissimi. *Mille enim occur- runt casus morborum, vel modi, quibus inquinare conscientiam potest Medicus dexterimus quivis*, inquit AMMANNVS. (5) Maneat igitur effatum PETRARCHÆ nostris oculis peccatoribusque semper affixum: *Sit Medicus scientia doctus, ex- perientia agilis & probatus, diligentia intentus, si- de & charitate insignis.* (6)

(3) Partit. Orat. cap. XXV. (4) παιδεία μόνη τῶν ἐπιγνῶντων οὐκ εἰσαγόμενη. (5) In præfat. ad Prax. vulner. lethal. pag. 3. (6) GVEVARRA Horolog. Princip. pag. m. 191.

§. II.

Merito peritiæ artis PROBITATEM morum anteponit Divus VLPIANVS l. i. ff. de Decretis ab ordine faciendis; (7) uti enim sapientia juxta CHRYSOSTOMVM sine pietate est malitia & pietas sine sapientia stultitia; ita imprimis Medicus bonus sine PIETATE nemo esse potest. Veram Medicinam quatuor inniti columnis, Physicæ scilicet, Astronomie, Chemiæ ac PIETATE, pronunciavit jam THEOPHRASTVS PARACEL-

CELSVS (8) cui aliud adhuc aureum viri hu-
jus AVREI dictum addere liceat, quod refert
WOLFFIVS (9) inquietis; *Ars est Medicina,*
exercenda non nisi cum bona & provida conscientia,
pura pietate & magna experientia. Quemadmo-
dum igitur juxta effatum AVICENNAE fides
& spes agri erga Medicum & Medicinam, sepe
plus efficiunt, quam ipsa cum Medico Medicina; ita
sane nec ullus Medicorum quamvis artis præ-
cepta ad unguem usque percepit, quicquam
magna laude dignum aut cum prospero suc-
cessu consequi poterit, nisi PIETAS ipsi curæ
cordique fuerit. Cedro digna sunt atque adeo
mihi arrident verba; ut illa ipsa Philothecario-
rum Albis ut plurimum inserere soleam, quæ
apud GVEVARRAM reperisse memini (10)
dum dicit: *Sanitatis Autor DEVS; DEI Instru-*
mentum Natura; utriusque Minister MEDICVS
est. Non solum tutissima, sed & utilissima
virtus & maxime necessaria existit PIETAS;
& quicunque Medicus eam colit, non potest
non fortunam comitem habere in sua praxi,
& famam invenire in sepulchro. Est equi-
dem ea seculi nostri peruersi indeoles, ut Re-
ligionem Medici non solum suspectam incu-
fare, sed & plane nullam venditare velint non-
nulli. Egregium hac de re nuper vidi opu-
sculum orbis eruditus ELIAE scilicet FRIDE-
RICI HEISTERI, Laurentii filii, *Apologiam pro*
Medicis, quæ eorum depellitur cavillatio, qui Me-
dicinam in Atheismum aliosve in Theologia errores
abdu-

abducere peribent, & in qua simul præcipui Medi-
ci & nominatim HIPPOCRATES, GALENVS,
CARDANVS, TAVRELLVS, VANINV S &
BROWNIVS, qui Atheismi crimine commaculati
sunt, defenduntur. Amstelod. 1736. 8vo. plag. 12.
Demonstrat ibidem Autor Patris illustris filius
haud degener *Sect.* I. moris esse ut Medicis in
genere crimen hoc affigatur. II. Speciatim HIP-
POCRATEM, GALENV M, AVICENNAM,
AVERHOEN, HERMOL. BARBARVM, RA-
BELAIS, PARACELSV M, SIMONIV M, CAR-
DANVM, VANINV M, CAESALPINVM,
TAVRELLVM, SANCHEZ, SENNERTVM,
SPERLINGIV M, BROWNIV M, BECHE-
RVM, GREWIV M, & GARTHVM de ex-
istentia Dei dubitantes tradi; III. In causas ma-
levolentissimæ hujus obtrectionis inquiret,
quarum principes curatus rei physicæ studium,
credulitatis vulgi, variarumque de spectris &
fagis fabularum destructionem, medii ævi su-
perstitionem necessariamque sapientia publici
sacri cultus sepositionem. IV. & V. allegat.
VI. Naturam & definitionem Athei illustrat;
VII. asserit artem medicam solidissima mini-
strare argumenta ad existentiam Dei proban-
dam, id quod *Sect.* VIII. ex Osteologia; IX. ex
Myologia; X. ex Physiologia; XI. ex Botani-
ca; XII. ex génératione hominum, animalium
& plantarum demonstratum it; & XIII. con-
cludit, impossibile esse, vt medicina ad Athei-
smum viam pandat. Sequentibus ad XIX. us-
que

que HIPPOCRATEM, GALENUM, CARDANVM, TAVRELLVM, VANINVM & BROWNIVM ab hoc nigro loliginis succo vindicat; *Sect. XX.* e contrario, & *seqq.* merita Medicorum in Theologiam naturalem & revelatam ob oculos sifit, atque in *XXII.* explicat, ex obvia quovis die in scientia medica, consideratione magnorum operum Dei, ex vivaci imagine miseriæ humanæ, & crebriore commonefactione mortis, Medicinam potius ad Fietatem, quam ad hæsitationem de existentia Dei ducere. *Sect. XXIII.* innocentiam Medicorum artisque huius nobilissimæ ex scriptura sacra evincere, eorumque habilitatem ad functiones sacras exemplo LVCAE contendere nititur tandemque *Sect. ult.* conclusionem facit: Hanc in Medicos maledicentiam esse stolidam, imo Christianis prorsus indignam. Legi hinc non sine justa animi commotione, quod ambiguo satis sensu Doctissimus Lubecensium a SEELEN, in vita BRASCHII, Medici cuiusdam Lubecensis, refert: se vidisse olim in Saxonia sepulchrum alicujus Medicum Epitaphio:

HIC IACET PIUS MEDICVS. (11)

Quasi miraculum esset pius Medicus & corvo rario albo. Sufficiat unicum contrarii exemplum instar omnium allegasse, testimonium scilicet Imperatoris FERDINANDI I. quod de CONR. GESNERO ad CRATONEM effatus quondam est: *Credas GESNERVS est*

sup

1014

tota pietas (*) Per Dei gratiam nostra tellus te-
git Medicos complures tumulis coopertos,
quorum fama elogio probitatis insignita & post
cineres adhuc virescit; eademque plures adhuc
alit, qui absque imploratione diuini Numinis
curationem aggredi nefas ducunt; nec ægrum
accidentes ipsum monere erubescunt, ut ad
Deum respiciat, sicque spiritualem animæ cu-
ram non negligat, ita vt ex hoc capite Illustris
Hallenium BOEHMERI Desideriis in Differ-
tatione nuperrima *De Medicorum animæ & cor-
poris in sanandis ægris conjunctione* (12) prola-
tis ex voto satisfactum fit.

(7) Verba sic sonant: *Possessores cujasque civitatis cer-
ti de probitate morum & peritia artis eligant ipsi
quibus liberos suos in ægritudine corporum commit-
tant.* (8) Uti refert IOH. FABRICIVS in *Hist.
Biblioth. sua*, P. V. pag. 32 seq. (9) In *Lection. me-
morab.* Tom. II. pag. m. 484. (10) *Loc. cit.* (11) Ich
erinnere mich ehemals in Sachsen ein Grab eines
frommen Medici gesehen zu haben, worauf diese
Worte stunden: *Hic jacet pius Medicus.* vid. *Les-
ben der gelehrten Teutschen*, so 1719. gestorben
pag. 453 (*). STOLLII *Histor. Litterar. edit. La-
tin.* pag. 31. (12) Occasione c. 13. X. de pœnit. & re-
miss. Halæ 1736.

§. III.

LENITATEM commendat tertio loco SCA-
LIGER virtutem, quæ diis hominibusque adeo
placet, ut cœlum sursum attollat, superosque
rursus ad homines deorsum inclinare faciat.
Commune equidem ægrotorum est vitium,
zur
quo

quod morbonæ quovis die abundanter litan-
tes, ipsam tamen adeo abhorreant, ut vel le-
vissimo aduersæ valetudinis vento flante mox
vela contrahere, speque omni labi soleant. Nec
tum Medici opem poscunt, id spem inter me-
tumque collocati de die in diem subsidia quæ-
rere differunt, Medici præsentia interdum plus
magis perterriti, quam rigore morbi, donec
tandem extrema necessitas eos cogat adire co-
rinthum. Hominem quærunt faciemque Me-
dici humanam humanissimi ipsi ab initio co-
lunt, mox Vertumno mutabiliores Deum ex
machina poscunt, portenta urgent. miracula
clamitant, uno iectu, uno medicamento. imo
interdum solo Medici aspectu aut alloquio
sanari gestiunt bipedum miserrimi. Quodsi
nunc fortuna favente Medicus hostem acriter
impugnare, fortiterque debellare incipit, eum-
que tandem fausto omne exulare jubet, im-
mensis maestatur encomiis, ingentibus verbo-
rum honoris cumulatur acervis, *Imperator mor-
borum nuncupatur* (13) *Angelicam habere di-
citur faciem, Angelicas manus, totus totus est AN-
GELVS.* Ast quando ultimus morborum me-
dicus, Mortem dixerim, superuenit, agro-
tumque jugulat, aut illo ipso pristinæ sanitati
restituto Medicus salaryum postulat, o! quan-
ta datur rerum vicissitudo!

Inde canina foro latrat facundia toto. (14)
Adsumt plaustra conviorum & siborum,
quibus innocentia Medici traducitur; immo-
nis

nis audit carnifex, si dolores non statim cessant; impudens hominum extinxor, si æger moritur; & si munera poscit

Horridus appetet terribilisque satan. (15)

His rebus ita comparatis verum est, quod patientiam Medici utique exerceat Patiens, interim tamen non est, unde ægri intemperantia medicum crudelem reddere debeat, cum ipsum deceat esse potius hominem lenissimum & natura & disciplina, qui vitia ægrotorum alto supercilio intueri, mansuetudine superare, eosque interdum variis delinimentis capere inque id flectere conetur, ut præstantiam artis & studia artificis in posterum gratiori agnoscant mente, ipsique placidis obueniant moribus. Et licet complures ægrotorum indecenter & incomposite se gerant erga medicum, maneat tamen iste in *moribus suis declarandis mansuetissimus* (16) cum nulla nobis sit

facta potestas

Excruciandi aegrum. (17)

nosque non lateat: ubi corpus ægrotat, ibi mentem plerumque languere. Imo perpendat sedulo, ideo ordinem nostrum GRATIOSISSIMVM appellari, quia Medici gratosi, ad beneficiendum quasi nati divinaque sanandi virtute prædicti esse præsumuntur.

(13) Sic legimus, imperatorem Romanorum ANTONINVM GALENO, cum ipsum a gravi quodam morbo liberasset, pretiosam dedisse coronam cum elogio ANTONINVS Imperator Romanorum, GALENVS Morborum est. MISANDER in *Cornu Spec. III.* F Cop.

Cop. Part I pag 386. (14) PRUDENTIVS Hamartig. v. 402 (15) Ita lusit quondam ERICIVS COR-

DVS, Prof. Heidelbergensis :

Tres Medicus facies habet; unam quando ro-

gatur

ANGELICAM; mox est, cum juvat ipse DEVS.

Af ubi curato poscit sua munera morbo,

Horridus apparet terribilisque SATAN.

(16) CICERO de orat. lib. II. cap. XLIX. (17) VIR-

GILIVS Eccl. VI.

§. IV.

Lenitatem comitetur DILIGENTIA, quæ ut eloquentissimus afferit Romanorum, in omnibus rebus plurimuri valet; hæc præcipue colenda est Medicis, hæc semper addibenda, qua nihil est quod assequatur, qua una virtute omnes reliquæ virtutes continentur. (18) En! hic genuinum & determinatum sensum vocis: CVRA; Namque

*Est sanare Dei, MEDICI CVRARE, precari
Aegroti;*

i. e. tenentur Medici, quibus se liberosque suos in ægritudine corporum committunt homines, (19) omni cogitatione curaque in salutem ægroti reddendam incumbere, ita ut non solum rerum NATVRÆ CVRIOSI, sed imprimis salutis hominum curiosi audiant i. e. solliciti, iti adhibendo medicinam justam & adæquatam, in observando circumstantias morbi & symptoma in præcavendo pathemata graviora & periculosiora, in adjuvando naturam interdum erroneam aut si mavis in purgando vel exposiendo corporis humani fabricam, & sic porro. Difficile equidem est & molestum ad mores cu-

jus-

jusvis ægri, miri interdum capit is, se fingere,
 ast leniunt incommoda ista commodorum com-
 pensatione sapientes nonnulli, qui assiduitatem
 Medici morositate sua aut ingratitudine con-
 spurcare erubescunt. Et licet quoque nil sæ-
 pius nobis præter solam gloriam relictum ma-
 neat, sufficiat officio satisfecisse suo. Rem acu-
 tangit profundus SENECA, dum dicit: *Medi-
 cus non est contentus remedia monstrasse, sed admo-
 vere solet; interea sollicitus assidet, ad suspecta tem-
 pora occurrit, nullum ministerium oneri illi, nullum
 fastidio esse potest.* (*) Et rursus: *Medici parum
 docti, nec satis SED VTI officiosissime multos occidunt.*
 Imo iam olim DIDYMVS illum saltem medi-
 ci nomine dignum esse censebat, non quidem
 qui omnino curaret sed qui nil eorum, quæ ad
 utilitatem ægri & curam pertinent, omittit.
 Non solum autem DILIGENTIA requiritur a
 Medico, dum curationem adhibet ægris; Sed
 & dum non habet cui medeatur, industriad
 suam exerceat necesse est in legendolibros me-
 dicos, in colligendo casus notabiles in anno-
 tando observationes rariores, inque si fieri po-
 test, communicando ipsas cum reliquis ordinis
 sui membris. Cum enim proh dolor! hisce
 nostris temporibus plures dentur medicastri
 in Germania quam muscæ in Armenia, hic fe-
 re solus est character indelebilis Medici abso-
 luti, quo se a vulgo segregare & præ cœteris
 terræ inutilibus ponderibus distinguere potens
 est. Desidiaz nulla præbetur laurea, seque otio,

languori & inertiae dedere, abieeti est animi,
 & quasi vivi hominis sepultura, imo, cum
 OSIANDRO loquor, qui in otio vivunt, neque
Reipublicae serviunt, coram Deo sunt fures (20)

(18) CICERO L. c. cap. XXXV. (19) L. 1. ff. de de-
 cret. ab ord. faciend. (*) Lib. VI. de benefic. cap.
 XVI. (20) II. in Thessalon. III. 12.

§. V.

MATVRVS esse debet Medicus, non anno,
 sed animo. Barba quidem facit virum, sed non
 Medicum, aut, vt PLVTARCHVS expressit,
promissam alere barbam Philosophum non facit. In-
 terim testatur VALERIVS MAXIMVS: finxisse
antiquitatem AESCVLAPIVM barbatum, eoque
ipso innuere voluisse in Medico multarum rerum usum
& experientiam requiri. Et hoc sane extra omnem
 dubitationis aleam positum esse nemo, nisi qui
 helleboro indiget, negabit: uti enim experientia
 magistra est rerum humanarum omnium &
 mater scientiarum in universum; ita & in spe-
 cie felicis in re medica Praxeos fulcrum est &
 fundamentum, quo nisi innixa firmo stare talo
 vix dici poterit ars medica. Recordor utique
 heic loci istius Epilogi, quem sub finem Col-
 legii cuiusdam in Materiam medicam propo-
 siti ingenue satis nobis inculcabat Magnificus
 Lipsiensium WALTHERVS eloquens: *Et sic*
per Dei gratiam ad finem perduximus Collegium boc-
ce, velim autem vobis, AUDITORES, autor suasor-
que existere, ut omnia, que bacenus dixi, in dubium
voceis, nihil, quod de viribus bujus vel illius herbe,

780

radicis, aut alius eiusdem specifici prolatum fuit,
 temere credatis, sed cuncta ipsi prudenti & sufficien-
 ti exploratione instituta experiamini, sic dum vos
 usus faciet Medicos, & experientia felices Practicos.
 Sed oritur mihi dubium: quodsi ingens anno-
 rum numerus requiritur, ut quis in arte Me-
 dica certus evadere & Practicus, ut ita dicam,
 experimentatus effici debeat, quomodo fieri id
 potest, si, ceu moris est, decumbentes auxilium
 Medici junioris implorare verentur, veterani
 autem, ne altius surgat juvenis curarum ple-
 ni & inuidiae impedire sustinent; quis quæso
 demta hoc modo omni emergendi occasione
 experiendo certus aut felix in arte sua evadere
 potest? Sed maneat execranda hacce seculi no-
 stri labes, crasso silentii peplo involuta, ne cra-
 brones me irritasse dicant frivoli. Sufficit, hic
 non longam annorum seriem requiri, sed poti-
 us JUDICII MATVRITATEM, ut probe
 quis morbum, ejusque statum, symptomata
 temperamenta, medicamenta methodumque
 medendi calleat, & posteriori loco dicta juste
 ac salutariter applicare noscat. Est enim Medi-
 cina ex mente Illustris HOFFMANNI Discipli-
 na non tam memoria & ingenii, quam potius SVM-
 MI JUDICII eamque ob causam, teste dudum HIP-
 POCRATE, omnium difficillima. (21.) Dum enim
 de vita hominis tuenda agitur, sane maturo
 opus habet judicio Medicus, ne homines im-
 pune necesse tradatur, suamque conscientiam
 profundius laetat; ut enim Principi, inquit SE-
 NECA,

NECA, turpia sunt multa supplicia, ita & Medicis
multa funera. Et cum tot morbi dissimiles, dis-
pares requirant curas, sedulo inquirat Medicus,
quibus per dulcia medicamina, quibus per ama-
ra succurrentum; quibus cauteriorum adustio-
ne, quibus malagmatum placabilitate subve-
niendum; quibus dura ferri sectio adhibenda,
quibus blanda olei lenitas infundenda, & ta-
men diversissimis licet curis eundem semper in-
tendat finem, salutem nempe hominis & vitæ
conservationem. Et sic inconcussum stabit at-
que immobile istud: *Medicamentum in manu pru-
dentis & pii Medici esse fulmen in manu Dei.*

(21) *Prefat. ad CONRINGI Introduct. in univers.
Medic. pag m. 5.*

§. VI.

Virtutem ducem, comitem fortunam qui habet,
omnia jam summa consecutus esse dicitur (22) Fe-
lices equidem jam olim Medicos deprædicavit
NICOCLES, ex falso tamen præsupposito, hoc
scilicet, *quia fructus eorum sol intuetur, errores vero*
tellus operit; sed absit, talem imaginariam, imo
absurdam sibi concipere velle felicitatem; FOR-
TVNATVM vult NOSTER Medicum ex alio
capite, i. e. stipatum bonis & tali prospero for-
tunæ statu utentem, ut pretiosa satis interdum
remedia sibi comparare pluribus egenis largi-
ter succurrere possit. Qui ejusmodi fortunæ
subsidiis gaudent, facillime aliis subsidiari va-
lebunt, nec vulgi applausus ipsis deerit un-
quam. Ast quos premit egestas & rerum cur-
ta

ta supellex, quid quæso cum illis? His sane præstantius quicquam optare nequeo illa, quam de CATONE majori consignatam legimus, felicitate, qui scilicet adeo versatilis ingenit fuisse dicitur, ut sibi, quoctunque loco vixerit, FORTVNAM ipse fabricare potuerit. Aut si satius duxerint sequantur prudens COI consilium, dum Medicis suadet: si feliciter curare vellent, ut non nisi temperantum dictisque suis morem gerentium egrotorum curam suscipiant. Et cum nonnulli dentur Medicis fortunatores, quam prudentiores, i. e. quorum vitam moresque regit sola FORTVNA, non vera sapientia (23) aut ut BARCLAJVS loqui amat, quorum incerta consilia a FORTVNA nobilitantur, (24) patiens esto pauper medicus, meliora speret, recordetur sacerdos, quod

- - - brevis est magni fortuna favoris, (25)
nec a virtutis tramite se fletri patiatur; sola namque VIRTVS FORTVNATISSIMVM potest facere quenquam (26.)

(22) CICERO lib. X. familiar. Ep. III. & V. (23.)

IDEM Tusc lib. V. pag. IX. (24) Argen. lib. III.

pag. m. 323. (25) SILIVS ITALICVS lib. IV. V.

734. (26.) APVLEJVS II. dogm. Plat. pag. m. 25.

§. VII.

Inventum MEDICINA DEI est, MEDICVS.
que peritus

Recte mortalis dicitur esse DEVIS.

Quicunque igitur nobilissimam hancce artem profitetur, semper ob oculos sibi ponat, quis sit hujus fons & origo boni. Veteres jamjam medicinæ repertores, excultoresque Divorum numero

mero accensuerunt divinisque honoribus ma-
etarunt, APOLLINEM inquam, MERCY-
RIVM, DIOSCVROS, CADMVM, CHIRONEM,
APIN, AESCVLAPIVM, PODALIRIVM, MA-
CHAONEM, qui & HOMERO (27) ιωθεὸς
Φῶς laudatur, & alios, quod crederent tam ex-
cellentem disciplinam non potuisse humanis
ingeniis excogitari, proinde & a LVCIANO
ARDICATO appellatur DEORVM DOCTRI-
NA. (*) Elegans hujus asserti exemplum ex-
hibet CVRTIUS (28) dum de nobili quodam
Medico PHILIPPO, natione Acarnane, regi
ALEXANDRO M. admodum fido, refert,
cum iste potionē quadam medicata salubrita-
tem Regi reddidisset, ita ut tertio die post as-
sumtum medicamentum in conspectum mili-
tum venerit, ita pergit; *Nec avidius ipsum Regem,*
quam PHILIPPVM intuebatur exercitus; pro se
quisque dextramejus amplexi grates habebant veluti
PRAESENTI DEO. (29) Quodsi autem Medi-
cus fide salvifica imbutus majori sane cum ra-
tione & fundamento asseverare potest, scien-
tiā, quam edoctus est, a summo vitæ & sa-
lutis fonte scaturiginem hauirire, uti eleganter
demonstratum ivit B. STAHLIVS in *Dissert. de*
DEO vera Medicinae AVTORE. Hall. 1712. Sane
in exercitio artis imperterritus progredi DEO-
que FRETVS semper idem manere potest, five
amplissimis ornetur honoribus fortunisque ma-
ximis, five dente canino rodatur & contume-
lijs. Sciscitabatur olim ex me quidam ex il-
lustri

Iustri patriæ nostræ gente oriundus: num scirem qualis definitio eaque accurata satis dari possit de Ephoro juvenum nobilium? cumque varia allegassem, regerebat: nullam magis adæquatam esse, quam istam: *Laudatur ab his, culpatur ab illis.* Certe si ad ullum subjectum quadrat, ad Medicum quadrat; nullum mortalium genus tam frequenter virgula notari solet censoria, quam Medicorum ordo; carpi, perstringi, vituperari, conviciis affici, scommatum stigmatibus uri, fama & existimatione lædi, omnium sermone vapulari, etiam cerdonum, vetularum, rusticorum, aut aliorum capitum cerebro plane vacuorum, hæc sunt pedissequæ & conturmata cohors, quibus plerumque stirpari solet Medicus in præxi sua. Ast

- - - *quicquid corrigere est nefas*

- - *levius fit patientia, (30) &*

Spes confusa DEO sola pericli

*Egit turris clypeusque trucem porrætus in bo-
stem. (31)*

Hæc vero MIRABILIS est Planta, cui tanta vis inest & efficacia, ut tanquam in tranquillo portu a-nimum constituat, eumque ab adversis calamitatibus ventis, procellosis fortunæ æstuantis fluctibus & rigidis invidiæ tempestatibus liberum reddat ac immunem. Tangunt equidem contumeliam animum honestum, sed non frangunt; concutiunt famam tela malevolorum sed non dirimunt;

F 5

Mens

*Mens immota manet, modo sit sibi conscientia recti;
hic murus abeneus esto,
Nil consciente sibi, nulla pallescere culpa.*

(27) *Iliad* β. 212 (*). Nec multum abludit a QVINTILLIANO Declam. CCLXVIII. dictum: *Medicinae autores, ante omnia accepimus DEOS; sive (ut maxime reor) ut hæc infirmitas hominum haberet adjuventia aliqua, atque solatia: sive tantum huic arti attribuere majores, ut eam vix crederent humanis potuisse ingenii inventori: sive ipsa medicina per se sacram est.* (28) *Lib. III cap VI.* (29) *L. c. §. 17.* (30) *HORATIVS I. Carm. od. XXIV.* (31) *CLAVDIA-NVS* in *Ruffin.* v. 264.

§. VIII.

*Nullam presumptionem pericolosorem esse, quam
de propria scientia aut justitia superbire, mellifluus
testatur AVGUSTINVS, & sapientissimus SO-
CRATES SUPERBIAM humanum esse stultitiae,
optime pronunciauit.* (32) *Interim tamen com-
mune hoc est generis humani vitium. ut, quan-
do quis capram celestem orientem conspexisse
sibi videtur, mox magno fastu turgidus, inso-
lentius effterri assuescat, alto supercilie ceteros
despiciat, meras ampullas & sesquipedalia ver-
ba proferat, more pavonis circumcirca rotetur,
& dictis, factis, moribus, gressu & incessu ita
intumescat, ut rumpi & crepare quovis mo-
mento credatur. Fuerunt & olim inter medicos,
qui stulta arrogantia sibimet ipsis ob medendi
peritiam divinos honores adscriberent, quo-
rum MENECRATEM PHILIPPVS, ALEXAN-
DRI*

DRI pater urbanissime risit; ille enim adeo superbia turgebat, ut seipsum JOVEM appellaret. Misit autem aliquando literas ad PHILIPPVM Macedonum regem in hæc verba: *PHILIPPO MENECRATES JUPITER salutem.* Ad ea rescripsit PHILIPPVS: *PHILIPPVS MENECRATI sanitatem; consulo ut ad Anticyram te conferas.* (33) Quid quæsto stolidius? Cum autem jam apud veteres Romanos SVPERBIA ingens fuerit facinus, ita ut TARQVINIO multis sceleribus (hominem autem libidine præcipitem, avaritia cœcum, crudelitate immamnam, furore vecordem fuisse scias) SVPERBI nomen dederint, putarintque sufficere convicium; (34) sane nos qui sacram profitemur religionem, maxime pudeat, minimeque decet faufose contemnere alios, deprimere, iisque audacter insultare. Felix vtique est Medicus, qui vulgi captare benevolentiam & favorem Magnatum sibi conciliare valet, non tamen inde habet, ut sua vel *scientia*, vel *opera* vel *succesu tumefactus* cristas attollat, seque SVPERBVM præbeat; *Vulgus enim sic est, ut ex veritate pauca, ex opinione multa estimet,* (35) & o! quam facile

Scinditur incertum studia in contraria vulgus! (36) optimatum autem gratia numquam stabilis, sed facile immutatur, cuiusque moribus, aut etiam eodem, quo se fortuna, inclinat. (37) Accedit, quod execrandam Deoque & hominibus exosam

sam SVPERBIAM presso pede sequantur pœnæ grauissimæ; sunt autem, censente ita pio quodam Politico, duæ summa pœne SVPERBORVM: una error in consiliis, & altera infelicitas eventuum in rebus gerendis. (38) Prudens itaque Medicus fausto eventu PRVDENTII calcabit vestigia, canentis: (39)

*Define grande loqui: frangit Deus omne superbum;
Magna cadunt, inflata crepant, tumefacta pre-
mentur;*

*Disce supercilium deponere, disce timere
Ante pedes soveam, quisquis sublime minaris.*

Hinc nunquam affectabit esse garrulus aut grandiloquus, in quorum gregem merito reponuntur illi, qui *κεατισοχειρεγγήματα* sua ubique jactant, vividos nimirum latices, olea incombusta, hieras hermeticas, panaceam, mumiam magneticam, aurum potabile, pulvres vipereos gemmatos, bezoardicos, theriacales essentias, tincturas & id genus remedia alia sexcenta, quæ nouis nominibus Arabicis dicam an Abracadabricis involvunt; ubi illos eleganter satis depinxit Celeberrimus MENCKENIVS; (40) neutiquam ille Medicorum experientissimus audit, qui circumforaneas agyrtarum grandiloquentias imitari didicit.

(32) τὸν ἀνίαν Φεύαγμα. Ein vornehmer Minister am Dresdnischen Hofe pflegte zu sagen: Einem Höfftigten sässe auf einer Achsel ein Narr, und auf der andern ein Bärenhäuter. (33) AE-LIA-

LIANVS *Hiflor. var. XII.* 51. PLVTARCHVS
Apophtegm. cap. LXXXIV. qui AGESILAO id tri-
 buit. (34) SERVIVS *ad XI. Aeneid.* VIRGILII.
 (35) CICERO *pro ROSCI O c. X.* (36) VIRGILIVS
II. Aeneid. v. 40. (37) JVSTINVS *lib. V. cap. I.*
 (38) RICHTER *Axiomat. Polit.* pag. 357. (39) *Psy-
 chomach. v. 286. seq.* (40) *Declamat. I. de Charlat.*
erudit. pag. 10. Edit. Amstelod. 1716.

§. IX.

Mundus regitur opinionibus & nummis, ve-
 rumque sapit quod dixit PETRONIVS:

*Quisquis habet nummos, secunda navigat aura
 Fortunamque suo temperat arbitrio.*

PECVNIA est nervus rerum gerendarum & effe-
 ctrix multarum magnarumque voluptatum, (41)
 cui obediunt omnia & ad cuius custodiam natu-
 ra omnes homines quasi adstrinxit, ubi PLINIVS
 loqui amat, ita ut infelix esse credatur, qui ca-
 ret hujus ope, interim tamen illam ipsam Deam
 velle facere, cœloque locare turpe esset ac ne-
 fas. Pecunia est imperandum, non serviendum,
 inquit concinne SENECA; est enim ancilla, si
 uti scias, domina si nescias. Medico itaque me-
 rito indignum censet NOSTER, PECVNIAE
 ESSE DEDITVM, ita ut non nisi ditioribus
 opem ferre, iis autem, quibus res est an-
 gusta domi, omnem denegare, aut etiam so-
 lus omnia, devorare, nullumque alium medi-
 cum juxta se esse vellet, quo nisi omnia cedant.
 Gratis equidem Medicus curare non tene-
 tur,

tur, (42) sed salarium ipsi debetur, etiam si de eo non conuenerit (43) & si non convenerit, potest petere officio judicis, (44) si autem convenerit de salario, competit actio in factum; (45) interim tamen caveat sibi, ne in vitium irruat avaritia, quippe quo vix tetrius dici potest. Dixeris enim avarum, dixeris omnne malum. Tam immane est scelus hoc, ut omnem fidem, probitatem, ceterasque artes bonas subvertat; (46) tamque pertinacis est moris, ut vix, ubi semel radices egit, eradicari queat. Absit igitur a Medico - Philosopho & Christiano turpis AVARITIA, quam metropolin omnis improbitatis merito dixit DIOGENES, nec se cœca bonorum libidine corrumpi patiatur, sed quo valentior nummis, eo lubentius egenis succurrere, manusque auxiliatrices paupertati præbere non dedigneretur, probe memor istius: *numquam homines ad similitudinem Dei proprius accedere, quam cum sint beneficii dignum esse decipi, qui de recipiendo cogitat, dum dat.*

(41) CICERO de finib. lib. II. cap XVII. (42) C. non sane. 14. qu. 5. Felin. in C. tria nos. de homicid. spec. tit. de salar. §. fin. n. 2. (43) Lib. I. §. 1. ff. de extraord. cognit. BALDVS in leg. I. Cod. Mandati. (44) IDEM in l. 1. ff. de extraord. cognit. & in L. I. princip. ff. si mens. fals. mod. dixerit. (45) BARTOLVS in L. nec quicquam §. ubi decretum l. 1. n. 3. ff. de off. Procons. (46) SALVSTIVS bell. Catilin. cap. X.

TANTVM.

Quæ

Quæ restant, prout restare quædam LE-
CTOR facile diuinabit, docti huius & egre-
gii scripti, propter loci nobis arcta præscripti
angustiam in sequens specimen serua-
bimus.



Mantissa

IN-


INDEX.


- Obseruar. I. Anni 1736. Wratislauia demortuorum Index. pag. 3.
- II. Anonymi; Puer Iudæus, quoad genitalia monstrosus, neque tamen Hermaproditis adnumerandus. 5
- III. Febris continua, feminam a cane rabido ante nouem septimanas morsam corruptiens, letalis. 17
- IV. Gothf. Henr. Burgharti; Mœbi spasmatici, circa Sabothum longe lateque gravantis, historia. 26
- V. Calamitatum physicarum, Silesiam ha-
etenus prementium breuis recensio. 38
- VI. Ioh. Gottl. Bergmanni; Abscessus in capite post quartanam. 45
- VII. Christoph. Timoth. Burgharti: Rariores quædam Hæmorrhagiæ. 49
- VIII. Gothf. Henr. Burghart. Succinum Silesiacum. 55

Mantissa.

- Num. I. Godofredi Langhans, de Ranis caudatis exercitatio. 58
- II. D. Caroli Friderici Schwerdtneri, Differatio epistolaris, ad Medicorum Silesiorum Satyrarum collectores, de requisitis Medici vere Philosophi. 72

f. 5. p. 103. off. 3.
p. 103. off. 3.
p. 95. off. 3.
p. 103. off. 3.
p. 103. off. 1.
p. 128. f. 1.
p. 110. f. 1. off. 2.
p. 162. f. 11.





the scale towards document

I Spec. VIII. Num. II.

127

nostri solaris systemate, uno verbo, planetae, in stellam fixam, tangentes, & propter itae suae, siue illa circu- siue parabolica fit, per nostrum sistema adueniam extendentes & sic in- venientes, moxque li, sub quo cernuntur barbatos, vel caudatos deesse ipsi videntur ar- in eandem haud plane- entia, modo ex obser- t, Cometam supra Sa-

DLION.

xplicando Cometarum omenis maximam par- tiam hypothesin adoptauod de mutatione cor- in Cometam, & destruer Cometam dicit, non in auenerit. Curiosum intermittendum, quod *Sinops. Cometic.* habet, tentiae robur aliquod Nam Cometarum dos, ubi scilicet eorum orbitae telluris inter- secat,

031
Patch Reference Chart TE63 Serial No.

Image Engineering Scan Reference Chart